

34127/A

E.XV.e
17

complet

£2-10
[illegible]

m
a 1

2087

Imprimatur,

Guliel. Wigan.

47672

Friderici Loſsii

HEIDELBERGENSIS *PALATINI,* MEDICI *DORCHESTRENSIS,*

OBSERVATIONUM MEDICINALIUM LIBRI QUATUOR.

Crato.

Nullâ re magìs quàm exemplo docemur atque confirmamur, præſertim cùm rationibus inſtructi actionum cauſas intelligimus, & aliorum factis, nobis quod ex uſu ſit, admonemur.

LONDINI,
Typis E. *Fleſher*, & proſtant apud *Gualterium Kettilby* ad Inſigne Capitis Epiſcopi in Cœmeterio D. Pauli. 1672.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

GENEROSISSIMIS

ET

NOBILISSIMIS VIRIS,

EDVARDO MELLER

ET

JOHANNI MICHEL,

Armigeris, Salutem.

UT nihil in hac mortali vita, vel potiùs vitali morte miſerius eſt, quàm variis morborum cruciatibus diſtorqueri, eorúmque ſævâ & crudeli tyrannide, tanquam in æreo Phalaridis tauro, continuò excarnificari; ità in humanis nihil ſanitatis ſerenitate jucundius aut gratius cogitari, nihil pretioſius exoptari, expetíve poteſt; ut non immeritò apud

Platonem, omnis auguſtioris ſapientiæ magiſtrum, cantio hæc convivalis celebretur, *O ſanitas, tu hominibus maximum bonum!* Amphion verò Sicyonius Poeta, apud Athenæum pæana ejus & laudem his Verſibus feſtivè admodum decantet,

Μετὰ σεῖο μάκαιρα ὑγιία τέθηλε πάντα
Καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρ, σέθεν ϡ χωρὶς
Οὔ τις εὐδαίμων:

Id eſt,

O beata ſanitas, te præſente amœnum
Gratiis Ver floret, abſque te nemo bea-
(tus.

Et quid obſecro animum vel corpus oblectare poteſt, cùm quis morborum torturis miſerè excruciatur, & contabeſcit? Nihil ſané. Cùm podagrâ divelluntur artus, aut latera pleuritide, quaſi acu, punguntur; aut febri cor exæſtuat; aut maraſmo corpus contabeſcit;

beſcit; aut alius aliquis morbus in te ſævit, quid juvabit Te dives Perſarum in Suſis & Ecbatanis, ſi poſſideas, gaza; aut Crœſi divitiæ, & auriferi Tagi Pactolíque arenæ? Hæc, in quantocunque ſint pretio, nè minimum quidem dolorem demulcere valent. Sit menſa tua ferculorum Antonii Conſulis & Cleopatræ, uniones aceto ſolutos, abſorbentis, luxuriâ inſtructa; aut in qua porcus omnifario animalium & volucrum toſtorum genere, ut equus Trojanus militibus, refertus, apponatur, quid quæſo proderit, ſi infirmo & faſtidiente ſtomacho labores, ísque vitio & marcore ſuo reſpuat omnia? Certè, etiamſi fortuna propitia è pleno ſinu omnia ſua dona liberaliter in Te effunderet, ſine Sanitate, à reliquis omnibus nullus verus uſus aut delectatio ulla procederet. Hæc enim divinum maximè, longéque blandiſſimum eſt condimentum, omnia grata & jucunda reddens. Rectè itaque venerandus ex

Coo Senex, Medicorum Coryphæus, Ὀυδὲν, inquit, ὄφελός ἐστιν, ὄυτε χρημάτων, ὄυτε σώματος, ὄυτε τῶν ἄλλων ὀυδενὸς, ἄταρ τῆς ὑγιείης. Hinc Græci olim Sanitati, in Dearum numerum aſcitæ, ſacra offerebant; eâ ſeſe mutuò ſalutabant, & ὑγιαίνειν jubebant. In conviviis quoque poſt manuum lotionem continuò ſibi mutuò Sanitatis hauſtum propinabant. Qui mos hoc ipſo ævo malè inolevit, quo pleno poculo, tanquam ad perdenda vina, ut Plinius loquitur, geniti, & quaſi illa non niſi per humanum corpus effundi queant, in aliorum ſanitatem, ſæpius etiam in propriam inſalubritatem, imò mortem ipſam bibere ſolent. Nec Græci ſolùm, ſed & alii quoque Ethnici Sanitatis dignitatem & neceſſitatem ſatìs ſignificârunt. Legimus enim de Pyrrho, Epiri Rege, qui ſe Aquilam cognominari voluit; quòd in Deorum ſacrificiis, poſthabitis aliis omnibus, non divitias, victorias, & ejus generis alia, ſed ſanita-

tem

tem ſolam petere ſolebat, ac ſi eâ partâ, reliqua omnia eſſent ſalva & ſecura. Quod ipſum etiam Horatius ſcitè admodum his verſiculis expreſſit, dum ait,

Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibúſque tuis; nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.

Cùm itaque ſanitatis munus longè maximum, ab omnibus habeatur, & non minùs homini neceſſarium æſtimetur, quàm Sol mundo; ut ſine qua nec nobis nec aliis prodeſſe, imò neque publica neque privata munia commodè & alacriter obire poſſumus; Medicinâ certè, ſi omnes omnium artium commoditates, facultates & copias liberâ tecum, ſolutáque mente volveris & revolveris, nihil invenies melius, nihil utilius, nihil à Deo Opt. Max. datum humano generi præſtantius. Hæc enim non tantùm corporis ſanitatem,

divinâ

divinâ gratiâ & amore conceſſam, ſartam tectam tuetur, oppreſſam penè reſtaurat, fugientémque retinet, ſine qua nihil, imò nec ipſa quidem vita conſiſtere poteſt: Non enim vivere, ſed valere eſt vita; & præſtat mori, quàm valetudinariam agere vitam: Sed & eadem animi, imò ipſius quoque animæ curam gerit ſedulam. Corpus enim morbis afflictum, & ſuperfluitatibus onuſtum, animam quoque prægravat ipſam, atque affigit humi divinæ particulam auræ. Et quid in univerſa hac mundi machina nos oblectare vel reficere poteſt, ſi vel mens, vel corpus, vel utrumque ſimul laboret? At verò ut mens ſana ſit in corpore ſano, quod Iſocrates maximum eſſe bonum affirmavit, Medicus omnes artis ſuæ nervos intendit, & hunc ſibi ſcopum præfixum habet, ut mentis & intelligentiæ organa in naturali temperie & conſtitutione conſerventur; vel ſi luxurient aut deflectant,

flectant, in naturalem ſtatum & conditionem reponantur. Tolle animæ rationalis organa, & ipſam ſuſtuleris animam; reſtitutis organis, reſtituetur & illa. Medici proinde laudem merentur ampliſſimam, atque omni honore ſunt digni, qui huic operi ſtrenuam navant operam; quíque omnia, quantum quidem in iis eſt, ad unius hominis commoda ſalutémque referunt, & languentes à ſummis malis, doloribus, moleſtiis, morborum torturâ, imò ipsâ morte liberare, eóſque è Plutonis ſaucibus ereptos vitali auræ reddere, omni ingenio, omnibúſque lacertis contendunt, & inſudant. Cùm igitur in hac Medicorum Palæſtra ipſe jam quadraginta Soles Medicinam faciendo, non ſine Numine, improbo quidem & indefeſſo labore, ſed exiguo & labori impari lucro verſatus eſſem, relictis inani logomachiâ & futilibus diſputatiunculis, in quibus multi conſeneſcunt, maximi ſemper feci expe-

rientiam,

rientiam. Tantum enim novit Medicus, quantum aut vidit, aut probavit. In eam rem, quæ plurima & obſervatione digniſſima in tractandis ægris, in dignoſcendis & curandis morbis à me obſervata eſſent, in chartam congeſſi, ut privato meo uſui inſervirent, & tanquam ſub uno oculi intuitu in luculentum ordinem reducta haberem; pro peculio impoſterum futura quod in praxi mea abundè ſatisfacere. Sed urgentibus amicis, ut obſervationes has ingenuo liberalíque animo publici juris facerem, annui tandem, ut petitioni eorum morem gererem. Non quidem, quòd hac re magnam ingenii aut induſtriæ laudem & gloriolam captare affectarem, quod qui intendunt, Cynicus nobiliſſimus ter homines, id eſt, ter miſeros eſſe dicebat; ſed ut Medicinam, artem quam profiteor, pro virili exornarem, & illuſtrarem, communíque rei medicæ bono conſulerem. Ingenui ſiquidem homi-

nis eſt, omnia ſua ſtudia & labores ad hominum ſalutem referre; imò homines hominum causâ generati ſunt, ut ipſi inter ſe aliis alii prodeſſe poſſint. Cùm vero diù hærerem, quibus hos labores meos medicinales dedicare, velut Tutelaribus, pro veteri more, deberem, Vos maximè, Viri Nobiliſſimi, inter plures occurriſtis; ſub quorum felici nominum celebritate in lucem prodirent. Perſuasêre hoc Virtus & humanitas veſtra atque ſingularis erga me immeritum amor; cujus vim nullo non tempore pleno modio in me effudiſtis, méque Vobis à Corporis cura eſſe voluiſtis, in hoc Prædeceſſores veſtros generoſiſſimos imitati, quorum promptum favorem & gratiam prolixam ſemper ſum expertus, & quibus in graviſſimis morbis fauſto Apolline Medicinam feci. Tot igitur veſtris & tantis in me cumulatis amoris & benevolentiæ ſignis improbus ſim & ingratus, ſi non, qui-

buſcunque

buſcunque poſſum modis, de Vobis viciſſim bene mereri ſtuderem. Serenâ itaque fronte accipite hoc, quicquid eſt, non gratiæ Vobis referendæ, ſed potiùs publicè teſtandæ pignus, & obſervantiæ in Vos meæ teſtimonium; quod Vobis inſcribo & offero, veſtrum ſubſidium implorans. Longè quidem ampliora meretur virtus veſtra, ſed cùm nihil aliud haberem Vobis dignum, quod offerre poſſem, ad molam ſalſam me contuli Vobis offerendam, quum thura mihi deeſſent; præſertim cùm & hoc accedat cæteris veſtris laudibus, quòd & exile munus non dedignemini, nec æſtimatione, ſed affectu donantis liberalitatem autoris metiri ſoleatis, inſtar Artaxerxis, qui nec aquam à ruſtico oblatam, cùm non haberet aliud munus, cavâ manu è præterfluente hauſtam repudiavit, cùm alii varia ad eum donaria deferrent. Quodſi hoc munuſculum læto animo ſuſceperitis,

ritis, méque ſolitâ benevolentiâ amplexi fueritis, candidiore hoſtiâ me litâſſe exiſtimabo. Ego, ſi quid viciſſim, pro mea tenuitate, præſtare potero Vobis honorificum, gratum, atque ad ſanitatem veſtram ſartam tectam conſervandam utile, nihil unquam in me deſiderari patiar. Valete, Viri Nobiliſſimi, & me, quem judiciis veſtris, veſtrâ gratiâ dignum feciſtis, eâdem ipsâ perpetuò fovere velitis. Sic optat

N. V.

Humillimus,

Frid. Loß.

Σὺν Θεῷ.

OBSERVATIONUM MEDICINALIUM LIBER PRIMUS.

OBSERVATIO PRIMA.

CONTRAFISSURA.

VITA humana non tantùm anguſto circumſcripta termino, ſed & plurimis miſeriis & periculis obnoxia; & eſt quidam calamitatum oceanus, non tamen idem omnibus. Quocunque te vertas, quæ circa te ſunt omnia, non modò ambiguæ fidei ſunt, ſed apertè fere minantur, & præſentem mortem videntur intentare; ut neſcias, quid ſerus veſper vehat. Conſcende navem, uno diſtas à morte pede; incede per urbis vias, quot ſunt in tectis tegulæ, tot diſcriminibus es

 obnoxius;

obnoxius; Equo inſide, in unius pedis lapſu vita tua periclitatur. Exemplo ſit Vir hic, ſexagenario proximus, cui nomen erat Michaeli, in rheda quadrigis gubernanda & promovenda à multis annis egregiè verſatus, & hoc ipſo opere victum quæritans. Hic nullo lethi imminentis metu, à caballo ſternaci, cui aquatum ituro inſidebat, excuſſus, frontem pavimento, duriſſimis lapidibus conſtrato, alliſit; acceptóque eo loci ex lapſu vulnere, aliorum ſubſidio elevatus, ſemianimis domum ſuam defertur. Mox bilem eructat, & nares ei cruentæ; certo, ſi Hippocrati fides habenda, cerebri concuſſi, & venulæ alicujus ruptæ indicio. Accerſitur mecum Chirurgus, in arte ſua peritus, & vir probus. Inſtituto diligenti ſcrutinio, vulnus vix cutem penetrâſſe invenimus. Chirurgus itaque ſine ulteriori examine vulnus ex artis lege obligat. Interim, elotâ alvo enemate, ſanguinis aliquid in corpore plethorico à chirurgo de Cephalica detractum. Sequenti die omnia deprehendimus graviora, & prorſus lethalia. Corpus enim febri incaluit, cum obſtupeſcentia & deſipientia, atque ad interrogata omnimoda obmuteſcentia, quæ ſummus noſter in Medicina dictator 1. aphor. 14. in capite læſo mala pronunciat.

pronunciat. Unde peſſimè de eo ſperare cœpimus. Nihilominus manum tanquam deplorato admovimus, & Chirurgus, ne quicquam eorum, quæ in his caſibus ars præſcribere ſolet, omiſiſſe videretur, quò certiùs pateret, ſi quæ noxa frontis oſſi inflicta eſſet, quod Hippocratis oraculo moniti verebamur, vulnus in fronte inflictum dilatavit, ſed os integrum & noxæ expers inventum, neque ſedulâ capitis contrectatione, ægro planè ſtupido & muto, quicquam animadvertere potuimus, quanquam fracti cranei multa erat conjectura. Itaque de aperienda per trepanum calvaria conſilium initum. Sed quid fit? miſellus iſte Senex, cùm per totum fere diem quaſi Comate quodam correptus eſſet, ſub veſperam horrendo Spaſmo convulſus, paucarum horarum ſpatio mortalitatem exuit. Aperto à morte craneo, in oppoſita fronti occipitis parte Rima ſeu Contrafiſſura, quam Græci ἀπόχημα vocant, reperta, & magna cruoris ſanie permiſti copia, craſſæ meningi incumbens; unde mors; ut verè dixerit Celſus, Medicorum ille Cicero, evenire interdum ſolere, ut alterâ parte ictus inſederit, & alterâ fiderit.

OBSERVATIO II.

Concuſſio cerebri ſine vulnere & fractura.

PErſas publicè venationi crebram operam navare, in qua Rex ipſe, Ducis officio, perinde ac belli tempore, fungitur, quum & ipſe venetur, & ut alii venentur, curam adhibeat, autor eſt Xenophon, quòd bellicarum rerum hæc meditatio veriſſima eſſe videatur. Pari fere modo nobiliſſimus Vir Thomas Hawles, ordinis Armigerorum, Monctonii, in Cramborniæ vicinia habitans, peculiare Perſarum Regum inſtitutum æmulans, opportunis, pro temporis & negotiorum ratione, venationis crebræ exercitiis & oblectamentis animi corporíſque robur reficere ſolebat. Hic cùm prædam acriùs inſectaretur, neſcio quo fato equus alterius pedis lapſu humi proſtratus, inſidentem Herum excutit, eúmque, pede altero ſtapede hærentem, per planitiem ultra milliare, occipite in terram prono, trahit; donec divinâ quadam virgulâ diſruptis ephippii cingulis ac ſubligaculis liberaretur. Præſtò ſunt illico venationis ſocii, & nobilem virum ſemimortuum domum portant. Nec mora, accer-

accerſuntur Saro, Epiſcopali ſede celebri, duo chirurgi, in arte ſua periti. Vocatur etiam Blandfordiâ ad octavum lapidem D. Antonius Olevianus, Medicus experientiſſimus, & huic viro ordinarius, qui me tunc temporis, in ædes ſuas receptum, itineris ſibi comitem adjunxit. Celeri itaque equo ad nobilem virum vecti, invenimus eum naribus ſanguinem profundentem, ingeſta & bilioſa per os rejicientem, & *ἄφωνον* omnino, ſeu ut Galenus interpretatur, abſque ſenſu pariter & motu, Apoplecticorum inſtar, jacentem; haud dubio cerebri concuſſi indicio, ſi Hippocrati, Medicorum coryphæo, 7. aph. 58. fides adhibenda. Mox itaque, injecto priùs enemate, huic Viro communi conſilio Cephalica ſecta. Chirurgi verò, raſis capillis, caput oleis, in eam rem aptis, ex artis lege inungunt & alia applicant. Sequenti die, ægro nihil quicquam levato, accedente etiam febri, metu graviorum ſymptomatum ob materiæ denegatum exitum, de cranio perforando conſilium initum; eóque per trepanum juxta artis præcepta adminiſtrato, magna cruoris copia ubertim profluebat, æger verò reſpirare, ſenſus paulatim recuperare, mox fari, & menſis ſpatio convaleſcere, Deo auſpice. Purgatus fuit æger

 aliquoties,

aliquoties, & alia adminiſtrata. Supervixit annis novem bene ſanus; febri, ni fallor, tandem jugulatus.

OBSERVATIO III.

Dolor capitis ſingulis pleniluniis repullulans.

Quanti ſit in curandis morbis chronicis & Saturninis, victus, imprimis verò cœli ſolique permutatio, ipſe poſſum abunde teſtari; qui per plures annos in juventute mea menſtruatim, circa Solis & Lunæ oppoſitionem, à meridie graviſſimâ Hemicraniâ in capitis parte dextra apprehenſus, exacerbatione ad octo circiter horas ſeſe extendente, vomitu tandem, & ſomno hunc excipiente, eram liberatus; à quo expergefactus, bene ſanus omnia munia, tam naturalia, quàm animalia, promptè & feliciter obibam. Ut huic malo acerbiſſimo medelam procurarem, plurium & longo rerum uſu experientiſſimorum Medicorum conſilio auxilióque uſus, ne hilum quidem profeci, quin malum, datis quibuſdam induciis, circa dictum tempus denuo repullularet. Tandem patriæ dulciſſimæ à Cæſareanis occupatæ illatâ hoſtili impetu ferme πανωλεθρίᾳ, & ipſe

ipſe cum aliis in diverſa terrarum rejectus, ab hoc immani dolore, circa temporalem muſculum ſtatis periodis ingraveſcente, totus ſum vindicatus, nec unquam poſtea ab eodem, niſi tertianâ quondam exæſtuans, ſum excruciatus. Rectè itaque affirmat Venerandus è Coo Senex, optimum eſſe in Chronicis morbis, terram mutare; quòd verò-ſimile ſit, aerem huic parum convenire, qui in eo degens longo tempore ægrotavit.

OBSERVATIO IV.

Cephalæa circa Veſperam ingraveſcens.

ELizabetha, Roberti Linningtonii, Coriarii, in vicinia publici carceris Dorcheſtriæ habitantis, pulchrè à fortunæ bonis inſtructi, filia natu maxima, quindecim annos nata, gracilis & raræ texturæ puella, catamenia nunquam paſſa, circa æſtatis finem corripitur diuturno eóque acutiſſimo capitis dolore, ſeu cephalæâ, ad oculorum radices protensâ, continuâ quidem, ſed circa veſperam excandeſcente, ſine febri, ita ut neque ſtrepitus, neque clangores, neque clamores, multò minùs lucis ſplendorem ferre potuerit. Hæc pluribus remediis, cùm eva-

 cuantibus,

cuantibus, tum aliis, quà internis, quà externis, infauſto & renuente Apollinis numine uſa, tandem ſolâ ſaphenæ apertione, & panis è furno calentis, optimo Vini ſpiritu inebriati, ad partem affectam applicatione, paucarum horarum ſpatio à non ferendis & per menſem continuò affligentibus doloribus, Deo auſpice vindicata, pancraticè vivit, rerum ſuarum ſatagens. Quæ quidem ideo annotare volui, ut pateat, quàm optimè inſtituatur revulſio à capite, cerebri & ſenſûs organorum conclavi, per ſaphenæ ſectionem; quod ipſum non tantùm in cephalæa, ſed & aliis capitis affectibus ſæpe ſum expertus.

OBSERVATIO V.

Raucedo diuturna cum dentium dolore à Catarrho.

Nullum eſt in tota humani corporis fabrica, admirando artificio à Deo, conditore Opt. Max. conſtructa, membrum, quod pluribus & gravioribus affligatur morbis, aliiſque crebram morborum cauſam ſuppeditet, quàm Caput, à Poetis Sacra Palladis arx ritè nominatum; ſive protopathiâ, ſive communis

communis lege conſortii afficiatur. Imprimis verò jugi Catarrhorum deſtillatione, morborum graviſſimorum fomes & cauſa evadit, in corporibus maximè naturâ ſuâ calidis & humidis, copioſam anathymiaſin facientibus; in quibus niſi excrementa, in ipſis collecta, debitis exercitiis & aliis evacuationibus abſumantur, plenitudo oritur, fœcunda morborum mater. Id quod contigit Reverendo D^no^ Guilielmo Ben, ad omnium Sanctorum apud Dorceſtrenſes paſtori vigilantiſſimo, cujus erga Deum pietas, vitæ integritas, & in concionando dexteritas, aſſiduitas atque fides nemini non nota. Hic Vir, dignus ſanè, quem nec morbus ullus, nec ſenectus ipſa unquam attingat, carnoſo corporis habitu præditus, ſtaturâ ſuâ ultra quadratæ terminos progreſſus, temperamento à Natura, induſtrio alioquin humani corporis opifice, calido humido donatus, primum ſenium ingreſſus, per biennium, & quod excedit ultrà, ſummâ & moleſtiſſimâ vocis raucedine, interdum tamen mitiore à catarrho ad fauces & aſperam arteriam depluo, & ſæpius totalem fere aphoniam efficiente, oriundâ, laboravit. Huic anſam præbuit nativum hujus Viri temperamentum, ad catarrhos generandos proclive;

accedente inſuper aſſiduo legendi, contemplandi, & inquirendi ſtudio. Quippe ſe totum diu noctúque ſtudiis involvit, ſacríque codicis lectioni vacavit, ut nullum ſibi tempus à ſtudiis vacuum relinqueret ad corporis curam; mentem utique à corpore rebúſque corporeis ſevocans,incorporeíſque applicans, alter quaſi M. Cato, quem Tullius lib. de finib. bon.& mal. refert, in Bibliotheca multis circumfuſum libris continuò ſedentem, inexhauſtâ legendi cupiditate exarſiſſe, nec unquam ſatiari potuiſſe, imò ne reprehenſionem quidem vulgi reformidantem, in ipſa curia, dum Senatus cogeretur, legere ſolitum. Pari ſanè modo hic reverendus Vir, ubique fere locorum, atque in omni amicorum conſortio, ſine aliqua animi relaxatione, lectioni & meditationi totus vacabat; ut meritò, cum eodem, Heluo librorum audiat. His ſcientiam quidem acquiſivit, virium autem jacturam fecit, & morbos ſibi adſcivit. Siquidem improbo hujuſmodi & indefeſſo ſtudio non tantùm calida viſcerum intemperies copioſam facit anathymiaſin, ſed & cerebrum plus æquo excalefactum, humores in eo contentos fundit & extenuat, pluréſque vapores à ſubjectis partibus attrahit, quàm concoquere, aut per halitum expellere

expellere poſſit. Variis præſidiis ad materiam morbificam evacuandam, partium intemperiem corrigendam, defluxionem à faucibus avertendam, & intercipiendam, nec non partes affectas roborandas, uſus eſt; ſed fruſtrà, & ſine fructu; multis etiam cum damno. In quorum cenſu erant Emplaſtra è fimo columbino vertici impoſita; & capitis ſupra modum calidis tegumentis continua involutio. Quòd cùm tandem perciperet, rejectis omnibus auxiliis, & remotis emplaſtris, ſolâ matutinâ capitis à ſutura coronali ad naſi radices in frigidam immerſione à diuturna & nullis remediis cedente raucedine, Deo auſpice, liberatus convaluit. Rectè itaque Galenus lib. 6. de ſanit. tuend. cap. 9. ſcribit, eos maximè decipi, qui in quacunque capitis deſtillatione abraſo capite medicamenta calida adhibent, quæ catarrhum augent, liquandò humores in capite exiſtentes; nec non calefactum ab aliis partibus trahunt humorem. Cutis verò capitis in aquam frigidam immerſione ita firmatur & aſſueſcit frigori, ut aliis omnibus externis injuriis facillimè reſiſtat, & capitis intemperiem calidam ejúſque acres vapores mitiget, & ex ventriculo venoſóque genere aſcendentes vel temperet vel repellat; de

quo

quo plura apud Celſum *lib.* 1. *cap.* 4. & 5.

OBSERVATIO VI.

Catarrhus ſuffocativus cum raucedine.

TAnta eſt hoc ævo morum & judiciorum corruptio, educationis negligentia, vitæque intemperantia, ut nobilem ocyùs Arabiæ felicis Phœnicem, quàm ullum hominis corpus ſub Lunæ concavo perfectè & integrè ſanum inveneris. Sunt morborum quidam, delictorum noſtrorum vindices, qui juſto Dei judicio mortalibus ab eo immediatè immittuntur; alii improbâ victus ratione contrahuntur; non pauci hæreditario quodam jure ex parentum genitalis ſeminis prava & morboſa diſpoſitione cum vita in natos propagantur. Sic nobiliſſimus quidam puer, Guilielmus, Viri ſtemmatis claritate, & virtutum ſplendore inſignis, D[ni] Johannis Bulkley, Armigeri, piè in Chriſto defuncti, filius, è tribus natu maximus, Matre catarrhosâ & in phthiſin pronâ ſatus; quem cùm utero geſtaret, tam ferinâ à capite in pulmones defluxione emacerata fuit, ut omnes de vita ejus deſperarent; hic, inquam, ab ipſis incunabulis infirmus, & in infantia

Rachitide,

Rachitide, quam vocant, graviter afflictus, tenuis & raræ admodum texturæ, nonum egreſſus ætatis annum, contriſtante Aquario annum, ſubitò paulò ante mediam noctem Catarrho ſuffocativo, ἀθρόως & magno impetu ad pulmones & cor ruente, obruitur; ut vix ac ne vix quidem ſpiritum duceret, & ab adſtantibus mox animam efflaturus judicaretur. Ad hunc vocatus, totus ad materiæ fluxum impediendum inſudavi, partim revellentibus, partim ſiſtentibus, & à pectore avertentibus; deinde etiam, ut materia in pectore coacervata elideretur, laboravi. Primò igitur clyſtere ſatìs acri injecto, extremarum partium frictiones & ligaturas injunxi; vertici fermentum cum ſuccino applicavi, quod in catarrhis ſiſtendis efficaciſſimum ſemper inveni. Fonticulum antehac ſiniſtro brachio impreſſum geſtabat. Altero mox die Manna & Syrupo roſarum materiam à pulmonibus averſam per inteſtina deturbavi. Hoc medicamentum leniter ſine ulla offenſa, imò magno ægri commodo, operationem ſuam peregit. Singulis verò noctibus ſub ſomni horam Syrupum è roſis ſiccis cum æquali portione Diacodii exhibui. Interim ad ſecundum curationis ſcopum, ad materiæ in pectore collectæ promptiorem ex-

expectorationem, frequenter in die uſus eſt rotulis & cylindris de pulpa radicum altheæ, nec non linctu ex ſacchari albiſſimi, ad juſtam ſpiſſitudinem cocti, unciis quinque, cui ab igne remoto calenti adhuc permiſcebam olei amygdalarum dulcium, recenter extracti, unciam dimidiam, ſpermatis ceti ſcrupulos quatuor, & ſpecierum diatragacanthi frigidi drachmam. Pro potu uſus eſt decocto pectorali. His ex artis lege præſcriptis & debitè adminiſtratis, Catarrhi ferocia plurimùm mitigata, pulmones tamen non plenè liberati videbantur. Placuit itaque experiri medicamentum à Jouberto plenis buccis decantatum, ex ſemine naſturtii hortenſis contuſo & nodulo incluſo, in urina pueri infuſo, addito poſt colaturam melle roſaceo; quo propinato, magnam dejecit pituitoſi humoris copiam, & favente Apolline à periculoſo catarrho in totum liberatus convaluit.

OBSERVATIO VII.

Hydrocephalus in puella recens nata.

Quod venerandi è Coo Senis oraculo ſancitum eſt, nullam ætatem ab ullo morbo liberam & immunem, ſed omnes,

cujuſcunque

cujuſcunque ætatis, mortales, omnium tyrannidi æquè ſubjectos eſſe; id quotidiana experientia, rerum omnium fida Magiſtra, abunde docet, & ratio ipſa evincit. Videmus enim indies morbos graviſſimos, non tantùm in adultos, ſed & inermes infantulos, crudeliter ſævire. His tamen quidam ſunt proprii & magìs familiares, quos Hippocrates, ſummus in Medicina dictator, longâ ſerie lib. 3. Aphoriſm. enumerat, è quorum catalogo, etſi Hydrocephalos, ſeu aquoſus capitis tumor omnino exulet, maximè tamen infantibus, etiam recens natis, innaſcitur, éſtque illorum proprius, & ab Avicenna, Arabum principe, haut temerè inter eos computatur. Adultorum mihi nullus in mea quadraginta annorum praxi occurrit. Ex infantibus unica puella, ex Catharina, ſpectabilis Viri D^{ni} Joh. Arthuri, in portu Weimuthiano Vice-Admiralis officio fungentis, lectiſſimâ conjuge nata, pulchra & bono corporis habitu, niſi quòd in ſiniſtra lumborum regione ad ſpinam tumorem quendam, ſeu excreſcentiam, tenuem admodum & inæqualem, rubicundam & ſanguine florido turgentem, à tactu retrocedentem, mox revertentem, medii digiti longitudine, & duorum digitorum tranſverſorum altitudine,

ne, qualem me nunquam vidiſſe, vel ab aliis deſcriptam memini, haberet. Huic ab ipſo ſtatim ortu, ſive ex duriore obſtetricis tractatione, vel ſine errore ejus, naturâ forſan ſeroſum humorem in capite collectum, aut aliunde tranſmiſſum ex venis pallente, & inter cranium ac cerebri membranas ſubſiſtente, caput ſenſim & lentè in tantam molem increvit, ut magnum magni cujuſdam viri caput magnitudine adæquaret, & cervix vix eſſet ei ſuſtinendo, dehiſcentibus & in tantum dilatatis, maximè circa occiput, ſuturis, ut digiti ſpatium interfuerit, & aqua intra cranium contenta per eas cerni quodammodo potuerit, non ſine maximo adſtantium, rei nunquam viſæ novitate perterritorum, admiratione. Etſi verò aqua intra cranium collecta, plerumque ſit incurabilis, ita ut Paræus neminem convaluiſſe viderit ex tumore intus ſub cranio contento; attamen ad eam à parentibus vocatus, ne miſellam prognoſticò relinquere viderer, Thucydidis conſilium ſequi volui, qui, Galeni ſuffragio, in re dubia agere aliquid vel periclitantes etiam jubet. Purgato igitur corpore ſemel, quantum tenella hujuſmodi ætas capax erat, Aquâ calcis vivæ caput ſpongiâ novâ bis in die fovebam; inuncto etiam

etiam capite ſulphuris balſamo, Emplaſtrum Diaſulphuris applicavi, & alia, ſed ſine omni fructu, quin malum indies augeretur, donec quarto ætatis menſe Epilepſiæ ſpaſmo jugulata, vitalem auram, quam vix hauſerat, denuo effunderet. Rectè adeò Celſus, hydrocephalum longum eſſe poſſe, refert.

OBSERVATIO VIII.

Vertigo caſu curata.

ÆGrotorum quidam ex maximis ſæpe morbis, omnem medicam manum eludentibus, caſu ſæpius & fortuitò liberantur; cujus in Reverendo Viro, Dno Johanne Strickland, verbi divini ad divi Edmundi, in Epiſcopali civitate Saro,Wintoniæ ocello, præcone fideliſſimo, exemplum habemus. Hic per biennium Vertigine, quam Veteres parvam Epilepſiam nominârunt, detentus, per breviora intervalla ſubitò invadente,qua omnia ipſi circumagi videbantur, adeò ut, niſi propinquis niteretur adminiculis, humi proſtratus corrueret; vario uſus eſt, ex plurium Medicorum conſilio, præſidiorum apparatu; purgatione ſæpius iteratâ, ſanguinis detractione, & aliis; inquilinum hoſtem,

 tantopere

tantopere infenſum, fauſto Apolline, ſi fieri poſſet, debellaturus. Sed fruſtrà & ſine fructu, ut de cura omnino deſperaret, vel ſaltem metueret, ne in graviorem aliquem affectum fieret tranſmutatio. Tandem, neſcio quo fato, à gravi de ſcalis lapſu, in copioſam narium hæmorrhagiam incidens, à Vertigine in totum vindicatus eſt; quam veriſimile eſt à ſanguine proveniſſe, & ex toto corpore per arterias in Cerebri ventriculum anteriorem irrepſiſſe, qui in plexu choroide agitatus, turbulentos ſenſus motúſque reddiderit.

OBSERVATIO IX.

Inflammatio Cerebri abſceſſu ſoluta.

Periculoſæ ſunt omnes internæ inflammationes, & quò propiores ſunt principi alicui parti, eò magìs periculoſæ ſunt, & acutæ; quæ verò in Cerebro, in quo Poetæ ſacram Palladis arcem locant, dum eam è Jovis cerebro prognatam fingunt, contingere ſolent, ut plurimùm ſunt lethales, & ægrum paucorum dierum ſpatio è medio tollunt, cùm Hippocratis oraculo 7. Aph. 50. in gangrænam & ſphacelum plerumque abeant.

abeant. Imprimis verò lethum accelerant inflammationes cerebri, quæ ad ſuppuratio-nem perveniunt; cùm puri, intra membranam & cranium concluſo, non pateat exitus. Meminit tamen Hor. Augenius unius, & Herc. Saxonia alterius, ſervatorum; quibus ſanies per aures, os & nares erumpebat. Addam ego aliud exemplum, non minùs prioribus miraculo proximum, in meo ex filia mea nepotulo, Johanne, Johannis filio, Buſhrod, tertium ætatis annum agente, bono corporis habitu, & temperamento ſanguineo. Hic febri continuâ acutiſſimâ, ſubſequente mox ſenſuum, cùm internorum, tum externorum, abolitione, remanente motu, eóque adeò valido, ut lecto vix contineri potuerit, correptus, nihil fari, cùm antea eſſet loquaciſſimus, in proprium & adſtantium corpora ſævire, dentibus mordere, obvia quævis unguibus dilacerare, dentibus ſtridere, oblata recuſare, oculos torquere, dies noctéſque inſomnis traducere, triſti adſtantium ſpectaculo atque terrore. Hæc omnia huic puerulo obveniſſe magno vitæ ſuæ diſcrimine, teſtari ipſe plenâ fide poſſum. Unde ſymptomatum ſævitiâ perterritus, malè de nepotuli, mihi chariſſimi, ſalute mœſtus ac dolens ſperare cœpi. Ne

tamen in tanto diſcrimine dulciſſimum mihi Nepotulum deſerere viderer, & artis præſidiorum inopem, reſumptis viribus, & animo firmato dubia audere mihi propoſui; anceps potius remedium experturus, ſi modò Parcæ eſſent exorabiles, quàm Libitinæ miſellum præ metu tradere. Mox itaque cùm tenella ætas venæ ſectionis minimè capax eſſet, enemate refrigerante & humectante injecto, eóque per totum morbi decurſum continuato, partium inferiorum frictiones inſtituo, veſicatoria nuchæ nec non brachiorum & femorum domeſticis partibus admoveo; ad revulſionem à capite, temporibus etiam hirudines applico. Eodem tempore ſyncipiti & fronti oxyrrhodina primò, deinde etiam emulſiones amygdalarum amararum & nucleorum Perſicorum cum aqua ſolani, lactucæ, roſarum & ſimilibus, addito tantillo aceto roſaceo, cum ſpongia in eadem imbuta, & tandem etiam pullos columbinos diſcerptos, & pulmones vervecinos ex animali recenter mactato calentes applico, & ſæpius repeto. Interim & alterantia, quæ calorem in cerebro & toto corpore alterare apta nata ſunt, in uſum revoco; exhibendo ſæpius tincturam roſarum, & julepos refrigerantes, quantum fieri poterat.

poterat. Nam nihil admittebat, niſi vi coactus. Ad ſomnum verò conciliandum exhibui emulſionem ſeminum papaveris albi & lactucæ. Et quoniam lotium rariſſimè reddere ſolebat, lapidem prunellæ julapiis permiſcendum curavi; renes verò & veſicæ regionem pinguedine cuniculi, oleo ſcorpionum permixto, inunxi. His per ſeptimanam continuatis, cùm jamjam moriturus videretur, rupto abſceſſu, & per aures, nares & palatum magnâ puris copiâ evacuatâ, miſellus hic ex deſperationis gurgite ereptus, præter omnem opinionem liberatur divinâ quadam virtute, quâ ſolâ ſæpe à ſæviſſimis & maximè exitialibus morbis homines vindicantur. Deo itaque ſoli ſit honor & gloria.

OBSERVATIO X.

Epilepſia ex nimia animi intentione.

Corpus ſæpe animum afficere, & contrà corpus ab animo pati, ratum eſt apud omnes & in confeſſo, ac quotidianâ experientiâ comprobatum. Unde Plutarch. in Sympoſ. dec. 5. probl. 7. *πάσχουσα ἡ ψυχὴ τὸ σῶμα διατίθησι.* Ac *τὰ πάθη τὰ τῆς ψυχῆς ποιεῖ*

 σφοδροτέρας

σφοδροτέρας τὰς τοῦ σώματος δυνάμεις. Immodici ſanè affectus & cor & corpus diverſimodè afficiunt, & naturam deſtruunt; Siquidem omne excellens ſenſibile lædit ſenſus, atque omne nimium vertitur in vitium. Quin & Platonis, omnis auguſtioris ſapientiæ magiſtri, ſuffragio, in principio Charmidis, Cuncta mala corpori ab animo, aurigâ ejus, accedunt. Hujus maxima eſt in corpus vis & imperium, ad varias in eodem mutationes ciendas; quod ex ſequenti hiſtoria exploratiſſimâ fide apparet. Nicholaus Barbir, Cracovienſis Polonus, tutelæ meæ commiſſus, annum agens decimum nonum, juvenis carnoſus, melancholico-ſanguineus & craſſo ſanguine abundans, in pulſanda teſtudine plurimùm delectatus & præ multis eminentiſſimus. Hic quoties pulſabat chordas teſtudineæ chelis, pulſabat autem haud infrequenter, plerumque in paroxyſmum Epilepticum ex nimia intentione animi, commotis & diffuſis ſpiritibus, incidere ſolebat; & quod mirum, paroxyſmo apprehenſus, in pulſando aliquandiu pergebat, donec tandem elapsâ è manibus teſtudine & ipſe corrueret, membra corpúſque hinc indè volutans, & ore ſpumans, remanente à paroxyſmo corporis quadam imbecillitate, &

& capitis dolore atque gravedine quadam, poſt paucas horas evaneſcente.

OBSERVATIO XI.

Epilepſia ab abſceſſu in infimo gutture.

HAud rarum eſt, ut in abſceſſibus inferiorum partium & tumoribus crudis fiat παλινδρομὴ ſeu recurſus ad ſuperiores partes, ídque per inſenſibiles ductus, non ſine ſummo vitæ diſcrimine. Hoc contigit in nobiliſſima Heroina; Margareta, Arthuri Radford, Armigeri, in pago Dewliſh, ſexto Dorcheſtriâ lapide diſtante, habitantis, conjuge ingenioſiſſima pariter & ſagaciſſima, nobiliſſimâ Hidorum familiâ oriunda, tenuis admodum texturæ & debili corpore, in quo tamen latebat anima fortis. Hæc omnibus penè morbis laborabat, latente tunc, ſed ſubinde erupturiente ſcorbuto, barbarè ſic dicto, graviſſimè preſſa, & abſceſſu circa lienem, ſiniſtrum renem, & eam meſenterii partem, evidentiſſimè periclitans, cum puris quotidiana rejectione per ſedem & urinam. Tantorum & tam complicatorum malorum medelæ cupidiſſima, relictis propriis laribus, Sarum, patriam ſuam proficiſcitur, ubi ejus

loci medicorum opera fruſtrà & ſine fructu aliquandiu uſa, tandem Londinum, Angliæ ocellum, properat; relictis rivulis fontes ipſos ſectatura, ſi forſan valetudini ſerenior adſpiraret aura, periclitatura. Aſſumptis ibi variis, iiſque efficaciſſimis remediis, ex artis lege præſcriptis, reluctante quidem, non tamen infauſto penitus Apolline, domum redit, variâ præſidiorum ſupellectile inſtructa. Paucis à reditu effluxis diebus, de dolore circa ſtomachum & hypochondria conqueritur, ſéque aliquid quaſi in ventre ruptum ſenſiſſe affirmat; ſubſiſtente interim pure, cujus ne hilum quidem per vias dictas evacuabat. Rei novitate perterrita, ut rebus ſuis conſuleret, purgationem inſtituit, bolo, quem ſecum Londino attulerat, devorato, in quo trium regnorum Medicinæ conjuncta erant, ad herculeum iſtum morbum complicatiſſimum debellandum, generoſa inſtrumenta; cujus motum immoderatiorem ſubſecutæ ſunt formidabiles convulſiones, Epilepticarum æmulæ, perculſo ab analepſia cerebro, in quo nihil obſervandum erat protopathici. His, Deo auſpice, emendandis vocatus, ſuaſi ſtatim enema ad revulſionem faciendam, cùm paroxyſmi crebrò recurrentes urgerent. ℞ *Radicum*

Bryoniæ,

Bryoniæ, Valerianæ, Althea, Helenii, ana ℥j. *Herbarum malvæ, parietariæ, camomillæ, ſalviæ, Majoranæ nobilis, betonicæ, ebuli, ana* Mj. *Summitatum rutæ, hyperici, ana* Mß. *Sem. aniſi, fœniculi, angelicæ, dauci, baccarum juniperi, lauri, ana* ʒij. *Bulliant in ſ. q. aquæ communis; In Colaturæ* ℔j. *diſſolvantur mellis Mercurialis & ſyrup. roſar. ana* ℥jß. *Vini canarini, in quo* ʒß. *Caſtorei infuſa fuerit,* ℥iij. *Ms, fiat Enema.* Interim Saphena itidem ſecata καθ' ἐπαφαίρεσιν, & ventoſæ ſcapulis applicatæ, cineres etiam calentes vitis, aquâ vitæ irrorati, nec non panis è furno calidus nuchæ admotus fuit. Et quoniam cauterium ſiniſtro brachio affixum geſtabat, illo, tanquam exigui usûs, ſiccato, bina in humero, aliud verò in crure ſiniſtro, quatuor digitos ſupra genu, imprimenda curavimus; Intrà verò ſequens Pulvis antepilepticus cum aqua ceraſorum nigrorum, & florum tiliæ exhibitus, qui ℞ *Stercoris pavonis albi, in umbra optimè ſiccati* ʒiij. *Talpæ totius præter cutem, optimè in clibano poſt exemptum panem ſiccatæ* ℥ß. *Secundinæ mulieris primiparæ maſculum enixæ* ʒvi. *Radicum pæoniæ maris, valerianæ ſylveſtris, & viſci quercini, ana* ʒjß. *Cryſtalli rupis & fragmentorum ſmaragdi ritè in præduro lapide præparatorum* ℈v. *radicum con-*

trayervæ

trayervæ & viperinæ Virginianæ ana ℈ij. *fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, addendo ambræ griſeæ* ℈j. Hujus ʒß. pro vice fuit ex aquis dictis propinata, unde magnum ægræ ſalutis compendium acceſſit. Eum illuſtriſſimo Viro D. Theodoro de Mayern acceptum fero; qui, ſi per anni tempeſtatem licebat, jocinera ranarum viridium, ne quid pulveri deeſſet, addere ſolebat. Hoc in aliis quoque à me ſummo ſtudio parato, cum laude ſum uſus. His quantâ fieri poterat diligentiâ adminiſtratis, deſeviêre membrorum horrendi ſubſultus, & convulſivi motus, Epilepticorum æmuli, cum rejectatione puris, huc uſque ſubſiſtentis, copioſiſſima, per veſicam, alvum, ipſóſque pulmones; ita ut hæc peſtis, quà data porta rueret. Cùm verò tumor non imminueretur, etſi magna puris copia proflueret, viribus utcunque conſtantibus, aſſumpſit Catharticum, ex granis ſex Mercurii dulcis cum ſcrupulo pilularum maſtichinarum permixtis, quod plurimùm profuit, ídque repetiit tertio quovis die, additis duobus auri foliis, & diebus intermediis aſſumpſit manè balſamum Peruvianum. Interea tumori fotus fuit adhibitus ex decocto Alni, corticis mediani Ulmi, radicis Bryoniæ utriuſque, radic. Ebuli, foliorum

Sambuci, Cicutæ, Hyoſcyami, Chamomillæ & Meliloti. Tandem etiam bibit per aliquot ſeptimanas Aquam calcis vivæ, præſtantiſſimum in omnibus internis ulceribus tum detergendis, tum exſiccandis remedium. ℞ *Calcis vivæ* ℔j. *affunde aquæ calidæ* ℥viij. *ſtent per dies duos vel tres infuſa vel etiam plures, quotidie agitando. Poſtea decanta aquam limpidiſſimam & cola per manicam Hippocrat. & in colatura clariſſima infunde per diem Radicum glycyrrhizæ raſæ, ſaſſafras cum corticibus, Ligni nephritici ana* ℥ß. *ſeminum fœniculi* ℥ij. *Colentur, de colatura propinentur* ℥iij. *ad* ℥viij. *manè jejuno ventriculo, horâ quartâ pomeridianâ, & decubitûs tempore, vel per ſe, vel addendo parùm aquæ Cinamomi, vel vini Hiſpanici, & ſacchari momento, per menſem unum vel alterum continuando.* Toto hujus ſtadii decurſu, uſa eſt alâ medicatâ cum antiſcorbuticis & aliis præparatâ. His omnibus in tantum reſtituta fuit, ut domeſtica vocationis munia obiret, etſi ulcus ad vitæ finem continuaret, & pus interdum indè efflueret. Supervixit annos ferè tres, & tandem animam Deo Creatori reddidit, poſtquam in corpore peregrinata eſſet annis, ni fallor, quadraginta duobus vel tribus.

OBSER-

OBSERVATIO XII.

Epilepſia Nocturna.

JAna, Nobiliſſimi pariter & humaniſſimi Viri, D^{ni} Thomæ Trenchard, Equeſtris ordinis, filia natu quarta, viceſimum ſecundum ætatis annum agens, Virgo pia atque omni virtutum decore cumulatè ornata, ſacrorum lectioni plurimùm vacans, mediocri corporis habitu prædita, Melancholica, cui catamenia ex naturæ lege procedebant; hæc meliori ſanè fortunâ digna, à pluribus annis, inæqualibus quidem intervallis, nunc brevioribus, nunc longioribus, ſed crebrioribus, corripi ſolebat Epilepſiâ, magno & ſacro· rei ſacræ, id eſt cerebri morbo, cum immoderatiore membrorum concuſſione, animalium functionum ablatione, & ſpuma cruenta ex ore manante, per horæ ferè quadrantem durante, ſubſequente capitis dolore tenſivo & gravativo, nec non maculis rubris punctatim circa oculorum regionem diſperſis, & poſt dies aliquot iterum evaneſcentibus. Invadebat autem paroxyſmus noctu ſolùm, ídque poſt mediam noctem, emergente aurorâ, nunquam interdiu. Vigebant

gebant in hac nobili virgine, extra paroxyſmum, omnes cerebri actiones, adeò ut illud non protopathiâ, ſed conſortii lege affectum videretur. Hanc itaque à flatu & acribus vaporibus, non tantùm è venoſo genere, ſed & ventriculo in ſenſuum ſedem, & nimis, ob raritatem, ſenſile rationis domicilium exhalantibus, & acumine ſuo vim cerebri expultricem irritantibus, ortûs ſui natalitia derivare judicavimus. Hæc nobiliſſima Virgo de miſerrima ſua conditione anxia, ut ab hoc malo liberaretur, ſeſe totam induſtriæ meæ commiſit. Quoniam itaque in extremis malis ægri minimè ſunt deſerendi, ut obſequerer potiùs, quàm ut quicquam boni ſperarem, curam bonis avibus, ineunte Vere, aggreſſus ſum, præſcriptâ probâ victûs ratione, cujus minutias recenſere ſuperſedeo. De Chirurgicis verò remediis, ſuaſi fonticulum, inter primam & ſecundam colli vertebram, & alterum plurium piſorum capacem in parte domeſtica femoris ſiniſtri, duobus ſuprà genu digitis, excitandum. Et cùm in Vere eſſemus, venarum quoque hæmorrhoidalium apertionem per hirudines injunxi. Quod ad Pharmaciam attinet, exhibito primùm vomitorio ex vitriolo albo depurato, levem materiæ dige-

ſtionem

ſtionem inſtitui, ſequenti decocto. ℞ *Radicum fœniculi, aſparagi, cichorei, polypodii, q. ana* ℥jß. *Herbarum Hiſſopi, Betonicæ, ana Mj. Borraginis, bugloſſi ana Mjß. Stæchad. pj. Coquantur in ſ. q. aq. pro libra una, addendo ſyrup. de ſtæchade, oxymel ſimp. ana* ℥jß. *mellis anthoſati* ℥j. *Ms. fiat Digeſtivum pro iiij. vicibus:* quo abſoluto, evacuationem ordinavimus ſyrupo de pomis purgante, Melancholicis appropriato, addendo ſyrup. de Cichor. cum Rhabarbaro & ſalis Tartari tantillo; & hanc digeſtionem ac evacuationem aliquoties repetivimus, accedendo poſtea ad decoctum ligni, ut robur toti corpori & affectis partibus adderetur. ℞ *Ligni guajaci* ℥iij. *Cortic. ejuſdem* ℥j. *Rad. Scorzoneræ* ℥ß. *rad. Pœoniæ, palmæ Chriſti,* quæ miram vim habet in curanda Epilepſia, *viſci quercini ana* ℥ß. *Zingiber.* ʒij. *ſeminum aniſi* ʒjß. *Paſſularum corinth.* ʒiij. *Aq. Betonic. Pœoniæ & Verbenæ ana* ℔ijß. *Bulliant in vaſe duplici ſ. a.* Aſſumpſit hujus ℥iiij. manè ſuperdormiendo, & quartâ pomeridianâ; continuando aliquandiu. His abſolutis ad ea acceſſimus, quæ ſpecificâ vi Epilepſiæ reſiſtunt, in quibus totius curationis cardo verſatur; exhibendo indies ʒj. *pulveris conflati ex pulveris pullorum corvi torrefacti* ℥ß. *ſeminum pœo-*

niæ excort. ʒij. *cranii hominis è parte anteriore, Radic. Pæoniæ, Viſci querc. & ſtercoris pavonis ana* ʒj. *Margaritarum & corallor. ana* ʒß. *Macis gr. xv. foliorum auri n°. iij. Addendo ſacchar. pro libitu, fiat pulvis, ex aqua florum Tiliæ & ceraſorum aſſumendus.* His paucis nobiliſſima Virgo continuatis, à tam gravi morbo in totum fuit vindicata; ita ut per quadriennium nullum paroxyſmum fuerit paſſa; donec Londinum cum parentibus profecta, morbillis extincta, mortalitatem exueret.

OBSERVATIO XIII.

Epilepſia particularis.

EPilepſiam Practici definiunt totius corporis interpolatam convulſionem, cum mentis & ſenſuum læſione. Id quod de perfecta & integra Epilepſia intelligendum. Datur tamen imperfecta quoque Epilepſia, in qua non totum corpus, ſed ejus ſolùm pars aliqua convulſivis motibus concutitur. Talis mihi occurrit in Nepotula mea, Maria, Johannis Buſhrodi, civis Dorceſtrenſis filiola, quæ ab ipſo ortu continuis circumvolutionibus oculorum & pupillæ ſurſum diſtortione,

diſtorſione, ita ut nil niſi album appareret, affligebatur, nec quicquam cerneret, quod agitatis ante oculos manibus obſervare potuerim, cùm ne nictarent quidem palpebræ. Huic mihi chariſſimæ pulverem Epilepticum Langii indies cum pulte, aquam florum tiliæ & ceraſorum, & alia exhibui; radices pœoniæ collo appendi, armillas & torques ex granis pœoniæ carpis circumligavi; ab aquis cum vino deſtillatis, & omnibus calidis, in tenella ætate omnino abſtinui. Nam in adultis quoque calidorum hujuſmodi uſu caput repletur & morbus intenditur; præſertim quando nullæ evacuationes præceſſerunt. Imprimis noxium deprehendi in convulſivis puerorum motibus ſpiritum Cornu cervi, tantoperè à Neotericis decantatum, empyreuma, tum guſtu, tum olfactu deteſtabile, redolentem; ut rectè dixerit Plinius, accenſis utriſlibet cervorum cornibus, odore fugari ſerpentes, & comitiales deprehendi morbos. Interim aquis Epilepticis cum vino deſtillatis, non ſine commodo nepotulæ meæ, externè ſum uſus, dorſum ſive ſpinam linteis in iis imbutis ad foculum perfricando. Dum his intentè inhæreo, Ecce miſella hæc puellula ſubitò graviſſimis corripitur motibus convulſivis, atque ſub finem anni

anni ætatis ſuæ ſecundi, unico paroxyſmo, per tres horas continuante, rebus humanis exempta, morte præmaturâ magnum ſui deſiderium parentibus & propinquis, maximúmque dolorem reliquit.

OBSERVATIO XIV.

Apoplexia ab exploſione bombardæ.

Quanta vis ſit animi motuum & affectuum in morbis gignendis, ſi modum excedant, dum magnas in corpore efficiunt mutationes, illúdque manifeſtò à naturali ſtatu evertunt, imò & repentinam ſæpe mortem adferunt, ex ſequenti patet hiſtoria. Elenora, Thomæ Deveniſh, zythepſarii in urbe Dorcheſtria publici præfecti, conjux, in primo degens ſenio, cùm forſan ob negotia domeſtica egreſſa, in platea occidentali domum, cui Falco pro inſigni erat, properaret; explosâ à milite improviſo à tergo ejus bombardâ, vix limen ingreſſa, humi cecidit attonita, omni ſenſu ac motu voce etiam privata; reſpiratione ſolùm aliquâ, ſed difficili & cum ſtertore, remanente, & laxatis omnibus membris, toto quoque corpore ſudoribus diffluo. Ad eam vocatus, facto mor-

tis prognoſtico, ut à calumnia tutus eſſem, pauca injunxi, ſed fruſtrá. Nam effluxis duabus horis, infata, Deo ſic diſponente, conceſſit. In hac muliere, debili capite, & doloribus ejus affecta, vero perquam ſimile eſt, ſubito terrore ſpiritus animales ad cerebrum, tanquam arcem defendendam, raptos, ſanguinem unà ſecum adduxiſſe; cujus copiâ arteriæ & vaſa cerebri repleta, & anguſtiora reddita, ſubſtantiam ejus compreſſam fuiſſe judico, ita ut ſpiritus vitales liberè à corde aſcendere, nec animales in nervos influere potuerint; unde Apoplexia, quam ſiderationem vocant Latini, ſubitò oborta.

OBSERVATIO XV.

Vir ſubitò cadens, & mortuus.

REverendus Vir, Dnus Johannes Whetcomb, S. S. Theologiæ Doctor, & Maidennutenſium Paſtor, ſexagenario proximus, proceræ ſtaturæ & habitûs corporis athletici, plethorâ abundans, temperamento Melancholico-ſauguineus, à pluribus annis ſpleneticus, & ſcorbuticâ labe inquinatus, ſed viribus integer. Hic ad Dnum Angelum Gray, Armigerum, cui Deus lares poſuit

Kingſtonii, in vicinia Dorcheſtriæ ſiti, viſitandum rhedâ vectus, lautè & amicè ab eodem excipitur, & cibo potúque ſatur à prandio ſurgens, ſubitò attonitus corruit; & oculi nictu vitâ privatus, nihil tale cogitans, Deo animam reddit. In hoc viro optimo, nulla apparebat oris diſtorſio, nullus audiebatur ſtertor, aut ſpumæ ex ore manantis veſtigia ſeſe prodebant. Eodem planè modo ad meliorem vitam à ſummo vitæ arbitro evocatus fuit Reverendus D^nus^ Johannes White, verbi divini ad divi Petri Dorcheſtriæ, quæ veterum Durotrigum putatur, Paſtor & Miniſter fideliſſimus; in quo præter doctrinam inſignem, ingeniíque vim acrem, mirum judicium, deinde & ſedulitas, pietas atque fides incredibilis invicem certabant; mihi multâ familiaritate junctus erat. Hi utrùm forti & acutâ Apoplexiâ, an Catarrho aliquo ſubitò ſuffocante, vel ſyncopâ frigidâ, è medio fuerint ſublati, aliis judicandum relinquo. Equidem cauſam proximam tam ſubitæ mortis impeditæ forſan ſanguinis circulationi adſcribendam cenſeo. Hæc ſi prohibeatur vel in torculari Herophili, vel cordis ventriculis, Sim. Pauli authoritate, idem in Microcoſmo, quod in Macrocoſmo, interpoſitâ terrâ inter Solem

& Lunam, accidit, & veluti Eclipſis quædam exiſtit, quam neceſſariò mors seriùs ocyùs inſequitur. Similis fere caſus accidit in infantulo quodam Thomæ Hall aromatarii Dorcheſtrenſis filiolo trimeſtri, qui ſanus & bene habitus, cùm nutrix cum eo luderet, in ſinu ejus, ſubitò oculi quaſi nictu vitam expiravit. Diſſecto à morte corpuſculo, cordis dexter ventriculus ſanguine congelato refertus fuit inventus. In reliquis partibus nihil culpâ dignum, ſed viſcera ſana & firma apparebant.

OBSERVATIO XVI.

Paralyſis ſiniſtri lateris curata.

PRincipum partium morbos vel omnino lethales eſſe, vel ſaltem magnos & curatu difficillimos, nemo eſt vel mediocriter in Medicina verſatus, qui neſciat. In horum cenſu eſt Paralyſis, ſeu nervorum reſolutio, quæ in ſenibus utplurimum immedicabilis eſt; in juvenibus & bene habitis contumax, & ægrè medicam manum admittit, víxque unquam curatur, præſertim ſi à ſoluta Apoplexia, quod ſæpe fit, proveniat; aut à cauſa aliqua interna oriatur, qualem

nunc

nunc proponere decrevi, vix magno labore curatum. Elizabetha, Reverendi D^ni^ Edvardi Pele, in pago Compton, ſexto Dorcheſtriâ lapide, occidentem versùs diſtante, Verbi divini Miniſtri, Viri pietate, doctrinâ & induſtriâ nulli ſecundi, Vidua mœſtiſſima, quinquageſimo proxima, ſtaturâ & corporis habitu mediocritatem nonnihil excedens, temperamento calido humido, hoc tamen calidum ſuperante, hepate & renibus fervidis, frigido verò ventriculo & cerebro; poſtquam aliquandiu conqueſta eſſet de dolore capitis gravativo, derepente incidit ultimâ hyeme, cubitum itura, in ἡμιπληγίαν partis ſiniſtræ, cum oris tortura, & ſermonis impedimento, motu in totum ablato, remanente ſenſu aliquo, ſed exiguo. In hac optima Matrona, veriſimile eſt, humorem ſeroſum pituitoſum, in Cerebro collectum, à natura, rebus ſuis conſulente, in principium ſpinalis medullæ & nervos effuſum, ſeſe in ſubſtantiam eorum inſinuâſſe, meatúſque inſenſiles, ſpiritus animalis delatores, occluſiſſe, tonúmque eorum laxâſſe; unde neceſſe eſt, ut tum ſenſus, tum motus amittatur. Etſi verò exigua eſſet curationis ſpes, nolui tamen ægram omnibus auxiliis deſtitutam relinquere; ſed omnia, quæ

 artis

artis eſſent, implere, eventum Deo commiſſurus; præſertim cùm membra reſoluta actu calida exiſterent; & curari ſæpe videamus eum, de quo Medicus omnino deſperabat. Eam verò ſequenti methodo tractavi. Et primò quidem extrema validè ad rubedinem & dolorem lateris affecti linteis aſperis calidioribus fricanda, & cucurbitas ex utraque ſpinæ dorſi parte applicandas curavi, alvo mox ſequenti Enemate exoneratâ. ℞ *malvæ utriuſque, mercurial. violar. ana Mß. ſalv. beton. champæpyt. centaur. min. ſtæchad. ana Mj. Sem. aniſi, fœnicul. ana ℥jß. Carthami excort. & Agaric. in petia ligat. ana ʒij. pulp. colocynt. ℈j. Coq. in ſ. q. aquæ ad tertias.* ℞ *colatur.* ℔j. *in qua diſſolve El. diaphænic. ℥ß. El. hieræ cum agar. ℥j. ol. chamæm. cheiri ana ℥jß. ſacchar. rubr. ℥jß. vitell. ov. nº. j. ſal gemmæ ℈j. Ms. f. Enema,* quo injecto plurima dejecit pituitoſa. Sequenti die ad primarum viarum evacuationem aſſumpſit pilulas compoſitas ex hiera cum agaric. pil. imperialib. agarico trochiſcat. & turpet. addito caſtorei tantillo, & guttulâ olei ſuccini, ex artis lege deſtillati & ab empyreumate vindicati; quæ cum εὐφορίᾳ operationem ſuam peregerunt. Hinc ad præparantia acceſſi. ℞ *Syrup. de beton. ſimpl.*

ſimpl. de ſtæchad. ana ℥ij. Oxymel. ſimpl. Mellis roſat. colat. ana ℥jß. Aq. ſalviæ, Majoran. Beton. paralyſ. ana ℥iiij. ſpirit. vitriol. gut. vj. Ms. fiat digeſtivum pro iiij. vicibus; quo abſoluto, purgata fuit pilulis Rudii, addito caſtoreo; & utraque aliquoties repetiit. Interim omoplatis affigenda curavi duo emiſſaria, plurium piſorum capacia, ut natura illinc emitteret tam ſuccos, quàm vapores noxios, in tutamen nervorum; Nicotianam quoque in funem contortam maſticandam exhibui, linguæ verò ol. aniſi & caryophyllorum affricavi, ad expeditiorem loquelam. Capiti quoque roborando tale ordinavi Electuarium. ℞ *conſ. anthos, Betonicæ, Paralyſ. ana ℥jß. Conſ. ſalviæ ℥j. calami arom. condit. Rad. Helenii cond. ana ʒij. Nuctæ cond. ʒj. Spec. diambr. ʒj. fecul. pæoniæ ℈ij. Caſtorei gr. v. ol. ſuccin. gut. j. Syr. de pæon. & paralyſ. ana q. ſ. Miſce, fiat Elect. jugland. quantitate devorandum, ſuperhauſtâ aquâ ſalviæ & Helenii ritè deſtillatâ.* Tandem etiam ſudavit decocto ligni, adjectis cephalicis. Quoad topica inunxit nucham balſamo ex ſpiritu Terebinthinæ, petroleo, & oleis chymicis anthos, ſalviæ & ſuccini conflato, admixtis guttulis aliquot Spiritûs Lavendulæ comp. Doctoris Matthiæ, quem & interdum, ſed

rariùs, intrò aſſumpſit. Membra etiam reſoluta, & motu deſtituta fovimus Roriſmar. Majoran. & gran. Juniperi ana Mj. Sapon. Venet. ℥ij. in Vini Sublimati, & aquæ Juniperi ana ℔ß. infuſis, eadem oleo lumbric. Vulpin. & caſtorei ana ℥j. ol. nuctæ expreſſ. ʒj. deſuper inungendo, admotis inſuper lanis mollibus, ſuccino ſuffumigatis. Quibus per duos menſes & quod excedit ultrà continuatis, recuperato ſenſu & motu, in tantum, Deo auſpice, valetudini priſtinæ fuit reſtituta, ut ad thermas profecta, earum ope confirmatâ magìs incolumitate frueretur, haud fruſtrato ſucceſſu. A quibus reduci poſt æquinoctium proximum, metu recidivæ, quæ utplurimum radice ſuâ pejor eſſe ſolet, curſum prophylacticum repetendum ſuaſi, & appropinquante brumâ, ad arcendam à capite aeris ambientis injuriam, præſcripſi cucupham interpaſtatam Majoranâ, Roremarino, Salviâ, nuce myriſticâ, caryophyllis aromaticis, & ſimilibus, totâ hyeme geſtandam; addito etiam potu medicato cephalicis. Quibus rite peractis, optimè curata, ſuperſtes vixit aliquot annis, febri tandem extincta.

OBSER-

OBSERVATIO XVII.

Paralyſis brachii ſiniſtri à febre.

HAud infrequens eſt, aut à veritate alienum, à nervis in venas, & à venis in nervos fieri humorum μετάςασιν. Febris ſanè materiam, in venis concluſam, in nervos haud rarò migrare, teſtis eſt locupletiſſimus ſummus in Medicina dictator, Hippocrates in Coac. prænot. ubi docet, convulſionem febris finem adferre, quæ aut eodem die, aut ad ſummum perendie incidit; ſed ſi eam, qua cœpit, horam exceſſerit, neque quieverit, malum eſſe. Convulſio enim nervorum affectus eſt. Contrahitur quippe muſculus ſecundùm nervoſam ſeu fibroſam partem. Unde Galenus, fidus Hippocratis interpres, convulſionem, nunc muſculorum, nunc nervorum πάθος eſſe ſcribit. Febris verò materia in vaſis locum habet. Si itaque convulſio febrim ſedat, è venis in genus nervoſum μετάςασιν fieri neceſſe eſt. Exemplo ſit Johannes, Reverendi Viri D^ni^ Hugonis Tompſon, verbi divini apud Durotriges præconis, doctrinâ, pietate & fidelitate inſignis, filiolus, natu primus, admodum ſanguineus.

guineus. Hic ſecundo ætatis ſuæ anno, febri continuâ correptus à pulmonum inflammatione ſubitò incidit in brachii ſiniſtri, ab humero ad extremos uſque digitos, omnimodam reſolutionem, cum ſenſûs & motûs ablatione, evaneſcente febri, unde criſi quadam humores, febris cauſam, è venis in nervos effuſos fuiſſe judicavimus. Idem Hippoc. obſervavit, pulmone ſcil. inflammato brachium reſolvi. Varia remedia tum interna, tum externa ad reſtituendum hunc puerulum fuêre adhibita, quantum quidem tenella ejus ætas erat capax; idem etiam thermis immerſus, reluctante admodum, ſed non infauſto penitus Apolline. Siquidem ſenſus ipſi in totum reſtitutus, remanente ſaltem imperfecto brachii motu, & manu pendulâ & nonnihil reſolutâ, quam vix ſine adminiculo aut veluti jactu elevare poteſt, affecto brachii primo nervo.

OBSERVATIO XVIII.

Paralyſis ſeu reſolutio dextri Cruris.

SImilis fere caſus, cum eo, cujus in præcedente obſervatione mentionem fecimus, contigit in puella quadam, cui nomen erat

erat Heſter, ſpectatiſſimi Viri, D^ni^ Andreæ Loderi, Cauſidici, filiola natu ſecunda, quartum ætatis annum ingreſſa, quæ febri continuâ per ſeptimanam exuſta, ſubitò tandem incidit in dextri cruris omnimodam reſolutionem, ſenſu & motu ejus in totum ablato; tranſlata ſcil. febris materia in oſſis ſacri vertebras, nervóſque indè in dextram cruris partem prodeuntes & ſparſos; unde facultas per eam, haud ſecus quàm lumen per aerem ferri ſolitum, aut quemadmodum radii ſolares per diaphana corpora expandi conſueti, liberè ferri impeditur. Cùm igitur ſpirituum radioſam qualitatem habentium, per nervos diſtributio quacunque de cauſa impeditur, reſolutionem ſequi neceſſe eſt. Parentes de reſtituenda priſtinæ valetudini, ſi fieri poſſet, filiola, ſoliciti admodum, nullis ſumptibus pepercerunt; tum domeſtico, tum exotico in eum finem utentes conſilio; ad thermas etiam ſulphureas adducta puella, nihil intentatum relinquentes, ſed fruſtrà; niſi quòd ſenſus rediit, & eò devenit divinâ ope & bonis præſidiis, ut baculo innixa ſive grallis adhibitis pedem poſt ſe trahendo aliquo modo ambulare potuerit.

OBSER-

OBSERVATIO XIX.

Paralyſis ſeu reſolutio Linguæ.

PAralyſis accidit membris, arbitrarii motûs organis, & iis maximè, quæ proprio & peculiari nervo, à Natura, induſtrio humani corporis opifice, ſunt donata; cùm neque cerebrum, neque ſpinalis medulla, ſed nervus ipſe lædatur. Imprimis verò lingua aliquando reſolvitur, peculiari nervo læſo; quod accidit Gualtero Hewett, civi Dorcheſtrenſi, viro tenuioris fortunæ, ſed honeſto, ſexaginta circiter annos numeranti; qui contracto frigore, quando December canus & bruma impotens, ut Martialis ait, Aquilone rauco mugiebat, ſubitò incidit in paralyſin linguæ, ut eam minimè movere, aut loqui potuerit, reliquis partibus ſalvis, niſi quòd in ſomnum pronior eſſet. Hanc à nimia humiditate nervos linguæ ſeptimi paris cerebri, prope ſpinalis medullæ initium, irrigante, ortûs ſui primordia duxiſſe puto; unde facultas per eos ferri minimè poterat; haud ſecus atque in ſole, cujus radii domum clauſam penetrare nequeunt. Ad hunc in vicinia habitantem accerſitus, mente eum

conſtare

conſtare deprehendi, eò quòd cùm fari non poſſet, digito ſupra linguam impoſito, eam affectam eſſe oſtenderet; quare injecto ſtatim enemate, partium extremarum frictiones inſtitui, ſanguinem quoque è venis ſublingualibus detrahere, quod à Practicis præſentiſſimum ſæpe hujus affectûs remedium inventum, conatus ſum; ſed linguam extendere non poterat, præſcripſi itaque pilulas ex Cochiar. Sine quibus, & de Agarico ana ℈j. commixtis, additis tribus granis caſtorei; quarum uſu alvum ſexies depoſuit. Interim linguam indies ſæpius fricavimus oleo caryophyllorum, & ſpiritu lavendulæ D. Matthæi, quem & nuchæ affricandum curavimus, cum oleo ſuccini rectificato. Intrà verò exhibuimus ſpiritum ceraſorum nigrorum, ſyrupo de pœonia & paralyſi dulcoratum; & pro potu uſus eſt tincturâ florum pœoniæ. His ſedulò adminiſtratis linguam denuo movere, & loquela reſtitui cœpit, non ſine adſtantium admiratione, & ſummo conjugis & liberorum gaudio. Ne tamen in recidivam relaberetur, aut in Apoplexiam præcipitaretur, quod ſæpe uſu venire ſolet, reiteravimus evacuationem; & gargariſmum, quo antea uti minimè poterat, ordinavimus, ex aq. Salviæ & Majora-

næ

næ ana ℥vj. Spiritu ceraſorum nigror. ℥jß. ſp. caſtor. ℥ß. Mithridat. ʒjß. Ms. Et pro corroboratione opiatam, potum etiam Guajaco & herbis cephalicis medicatum, & alia præſcripſimus, quibus ſanitati, Deo auſpice, integrè reſtitutus, nec idem malum ampliùs paſſus eſt.

OBSERVATIO XX.

Tremor omnium totius corporis artuum.

NAtura, rerum parens, jure de multis conqueri poſſit, quòd cùm ab ea temperatiſſimum nacti ſint corpus, præclarum adeò & utile donum, non ſolùm contemnant, verùm etiam corrumpant, imò & deſtruant; ut Galenum ſcribentem, otio aliíſque vitæ erroribus optimas etiam temperaturas mirè depravari, verum prodidiſſe, reipſa teſtentur. Unde tandem incurabiles incurrunt morbos. Sic eſt ſanè, ídque juſto Dei, peccatorum noſtrorum vindicis, judicio contingit, ut in ſenectute errorum in juventute commiſſorum, pœnas luant. Ità Guilielmus Polden, civis Dorcheſtrenſis, pannis laneis vendendis victum quæritans, & mediocriter à fortunæ bonis inſtructus, optimo

optimo & bene habito corpore à Natura, induſtrio humani corporis opifice, donatus, ut vix unquam vel ſaltem rariſſimè ægrotârit; conſtitutione calidus & humidus, ac proin plethorâ abundans, in juventute crapulæ deditus, & bibax cereviſiæ fortioris, ſed imprimis vini generoſi; cui facies ideo rubicunda erat, & jonthis defœdata, ut egregiè ſolet potatoribus ob cereviſiam craſſam & vina dulcia, plenis poculis hauſta, quibus facies inflatur. Hic in ſecundo ſenio conſtitutus toto corpore inſigniter tremere, agitari & involuntariè concuti cœpit, adaucto indies cum vitæ diebus tremore, diu noctúque, cùm decumberet & dormiret, moleſtante, ut non niſi à graviſſimis cauſis induci videretur. Cùm igitur nec cerebrum, vel ſaltem non inſigniter, afficeretur; nec pituitam rejiceret, conſiderato anteactæ vitæ curriculo, & corporis habitudine, vero perquam ſimile eſſe judicavi, nervos partéſque ſolidas immodico meracioris vini & cereviſiæ potentioris ingurgitatione labefactatas, atque adeò debilitatas fuiſſe, ut naturale conſuetúmque munus explere ampliùs, nec artus firmiter movere, nec continere potuerint; ſed membris viciſſim elevatis, & depreſſis, ex mutua facultatis & gravi-

gravitatis contentione tremorem cauſârint. Vinum ſanè, largiùs hauſtum, varia in corpus, pro ſui natura, ætate, potentia & aſſumptionis more, incommoda infert ; quod ſi vinoſum fuerit, quale eſt Hiſpanicum, caput tentat, & nervos lædit, unde meritò à Galeno, propter cruditatem, frigidos morbos facere creditur. Eſt enim vaporoſum ; & vapores in capite reſoluti in frigidum & pituitoſum humorem convertuntur ; unde non aliter ac alimenti copiâ premitur flamma ; ità quoque materiæ ubertate extinguitur facultatum focus, calidum innatum. Hinc Plutarchus Polyhiſtor, à vini potu, inquit, fiunt membrorum tremores, languores, faciei pallores, ſaltus in arteriis ſpiritûs, linguæ hæſitantia, nervorum in extremis membris conſtrictio, & torpor, &c. extinguítque vinum calorem. In iis porrò qui fervido ſunt hepate, quali hunc virum præditum diximus, vinum jecoris εὐεξίαν diſſolvit, & ſanguinem adurit, unde facies jonthis conſpurcatur. Ab hoc Viro in conſilium adhibitus, tremorem in ſene, ob cerebri & ſpirituum magnam imbecillitatem, medicam manum minimè admiſſurum prædixi ; annitendum verò eſſe, ne in Paralyſin, Apoplexiam aut ſimilem gravem affectum degeneret,

generet. Præſcriptâ itaque ex artis lege Victûs ratione, quæ nec pituitam in capite generet, neque nervos debilitet, ut à vino, nervoſo generi inimico, ſibi temperaret, ſtrictè injunxi, niſi id ventriculus forſan poſtulaverit; Ejus verò loco cereviſiâ ſalviatâ uteretur. Et quia in omnibus morbis, in quibus, præter qualitates, adeſt etiam aliqua præter naturam materia, evacuationem ſuadent Practici, eam inſtituere juſſi pilulis Macri & de Succino, decimo quovis die devorandis, intermedio verò tempore, quoties opus fuerit, enemate injecto alvum exoneraret. Ordinavi præterea Opiatam *ex Conſerva beton. ſalv. anthos ana ℥j. Nucis moſchat. condit. ℥ij. ſpec. diambr. & diamoſchi dulc. ana ʒj. Theriac. Androm. ℈iiij. Caſtorei ʒß. Ms. & cum ſyrup. Paralyſeos, fiat Elect.* Extrâ verò membra tremula fovit decocto ſalviæ, & thermis quoque fuit immerſus, & capiti cucuphum impoſuimus, & alia. Quibus remediis hactenus fuit præſervatus, etſi tremor parum vel nihil remitteret.

OBSERVATIO XXI.

Animi perturbatio ad inediam incitans.

HOmo mundi miraculum, & expreſſiſſimum Dei opt. max. ſimulacrum, tribus à ſummo rerum Conditore donatus eſt nobiliſſimis facultatibus, quas aliis creaturis denegavit; imaginatione ſcil. ratione, & memoriâ. Harum ſæpe omnes in nonnullis, in aliis quædam ſaltem adeò depravantur & corrumpuntur, ut idem homo non ſit idem, deprivatus judicio, ratione & conſilio, quibus antea erat indutus; Solis lucem, & hominum conſortium fugiens, littus atque aer & ſolitudo mera. Tale mihi in praxi mea occurrit exemplum in Roberto, Nobiliſſimi juxtà & prudentiſſimi Viri, D^ni^ Roberti Naperi de Poncknoll, pago maritimo, filio unico, optimæ indolis & ſpei juvene, duodeviginti annos nato. Hic ſive cœcis quibuſdam amoris igniculis æſtuans, ſive alia quacunque de cauſa, quam aperire noluit, commotus, poſtquam vitam aliquandiu triſtitiâ & mœrore peregiſſet, tandem, ut ſolent edaces animi affectus, morbis corporis graviores, mentem perturbare, incidit in

in ſummam melancholiam & animi perturbationem; qua firmiter ſibi imaginabatur, cùm alvum aliquandiu ob curas ſiccam haberet, ſe neque ventris ſaburram deponere, nec veſicam exonerare poſſe; etſi utrumque, licèt rariùs, faceret. Et hic mentis error adeò mordicus animo ejus inſedit, ut poſtea omnem cibum potúmque reſpueret, ità ſe ore tenus repletum eſſe ſomnians, ut, ſi quid alimenti aſſumeret, mox infarctu ſit periturus; in aliis rebus integrâ mente & ratione promptè utens, timidus tamen & mœſtus, quales ſunt melancholici, & totas noctes inſomnis tranſigens. Ad quem accerſitus placidè eum ſum allocutus, atque melancholicum eſſe dixi, nec rem ita ſe habere, ut imaginaretur, ſed omnia de quibus eſſet querulus, falſa eſſe phantaſmata. Ille verò in opinione ſua conſtans perſtabat, & mordicus contradicebat omnibus, miſeram conditionem, in quam lapſus eſſet, lachrymis atque ex imo corde ductis ſuſpiriis deplorans. Ego verò ipſum omnibus modis conſolari & corroborare ſedulò annitebar, ut in ſpem meliorem erigeretur; eíque omnem meam operam promittebam, ſi modò dictis meis audiens eſſe velit. At ille nullam vitæ ſpem ſupereſſe aiebat, & caſum hoc ipſo

 eſſe

eſſe magìs deploratum, quòd ob ſummam repletionem à ſalutarium præſidiorum uſu omnino excluderetur, quòd nulla per gulam deſcendere queant. Pertæſus itaque iſtarum querelarum, cùm viderem eum nodum in lævi ſcirpo quærere, nec me ſiniſtram ejus opinionem ullis, etiam firmiſſimis rationibus eximere poſſe, adhibito Nobiliſſimo D^no^ parente in conſilium auxiliúmque, cœpimus illum acriter objurgare, & pertinaciæ accuſare; eum mente captum dicentes, qui tantopere in falſa opinione perſiſteret, nec parentis monitis, cui divinâ lege omnem reverentiam & obedientiam debeat, & à quo omnia exſpectet, nec amicorum precibus locum daret; propoſitis etiam exemplis melancholicorum, cibum aſſumere nolentium, & tandem perſuaſorum, & aliis; unde tandem poſt plurium ſeptimanarum abſtinentiam convictus, ad meliorem mentem rediit, & cibum capere cœpit, quem lentè reficiendum injunximus, præſcriptâ humectante Diæta. Siquidem Melancholici non diutius curantur, quàm humectantur. Et cùm jejunii diuturnitate ad nihilum ferme deductum eſſet corpus, cui trama tantùm figuræ erat reliqua, carne vix oſſibus hærente, abſtinuimus à purgantibus quibuſ-

cunque,

cunque, & alvum ſiccam emollientibus tantùm & humectantibus officii ſui admonuimus, & corpus ſummè extenuatum juſculis lactucâ, borragine, bugloſsâ, fumariâ, radicibus ſcorzoneræ, pomis etiam redolentibus, & ſimilibus, medicatis; nec non opiatis ejuſdem naturæ cordialibus, ſedulò reficere laboravimus. Tandem ad procurandam analepſin ſuaſimus lac aſininum ex ubere calens, ſyrupo de borragine dulcoratum, manè per plures dies bibendum. His paucis aliquandiu continuatis, nobiliſſimus juvenis & menti & valetudini priſtinæ reſtitutus, pancraticè in hunc uſque diem, à melancholicis deliriis immunis, vivit.

OBSERVATIO XXII.

Animi Perturbatio, ad varia, imò impia, & in Deum blaſphema, contra voluntatem cogitanda incitans.

AFfectum hypochondriacum nonnunquam in melancholiam hypochondriacam degenerare, practici uno omnes ore confitentur, & ſequens hiſtoria abunde confirmat. Caſparus Colſon, civis & pharmacopola Dorcheſtrenſis, Vir religioſus & pro-

bus, & in arte, quam profitebatur, egregiè verſatus, & alios excellens, mediocris ſtaturæ, calidæ & ſiccæ conſtitutionis, viſcerum reſpectu, in juventute ſua plurimùm delinquens & genio indulgens, unde tandem in ætate conſiſtente, ad melancholiam pronâ, incidit in diuturnam hypochondrii ſiniſtri inflationem, cum ructibus & dolorifica à paſtu compreſſione, accedente inſuper cordis palpitatione, & ſomno perturbato. Quorum malorum fontem à collectione & obſtructione venarum ſplenicarum & meſaraicarum ſcaturire judicavimus. Ad debellandum hunc inteſtinum hoſtem, plurium Medicorum conſilio & operâ uſus, parum profecit ; ut in hoc affectu expugnando practici plerumque ſedulam magìs, quàm fructuoſam operam conſumunt. Nec facile eſt, ut dixerim, me quenquam unquam vidiſſe penitus ab hoc liberatum ; mitigari & leniri poſſe fateor, vix prorſus tolli ; ſed affectus hujuſmodi Saturnini ſunt, & nobiſcum ſæpe conſeneſcunt ; interdum etiam in pejus mutantur, quod accidit huic optimo viro, meliori fortunâ digno, cui in Melancholiam hypochondriacam degeneravit, evaporationibus ſcil. aduſti ſanguinis cerebro communicatis, & ad ſpirituum animalium infectio-

nem

nem & obtenebrationem inſervientibus; unde melancholicis cogitationibus apprehenſus, juxta variorum objectorum occurſum, circa varia verſabatur ſimulachra; nec uni ſemper cogitationi, ut multi melancholici ſolent, inhæſit. Visâ interdum fele, vel etiam cane nigro, mirum in modum perturbabatur. Oblato cultro ad vim ſibi inferendam tentabatur. Canalem forſan, quo aqua in plateis derivari ſolet, tranſcendens, cœpit illico in ejus mente & cogitatione verſari, in aqua ſeſe ſubmergere. Sed quod ipſum mirum in modum angebat, quòd de Deo cogitanti, & precibus intento, impiæ & blaſphemæ, nec ullo modo propalandæ cogitationes in mentem venirent; quas cùm ex animo delere omni ſtudio conaretur, ſubinde recurrentes,ad impia quædam, quæque ipſe toto corde abhorrebat, in Deum efferenda & committenda inſtigabant; de quo mihi multis lachrymis ſæpe eſt conqueſtus, Deum intimo corde invocans, ut ab hac tentatione eum vindicaret. Multis & continuis in eam rem uſus eſt remediis, Theologorum etiam conſilium exquirens. Sed hæ tentationes miſellum hunc Virum ad mortem ſunt comitatæ, quam ſtranguriâ & calculo, ni fallor, in veſica latente, anno

 ætatis

ætatis ſuæ ſeptuageſimo obiit, omnibus his malis eâ ipsâ liberatus, Deum in æternum glorificaturus.

OBSERVATIO XXIII.

Ex philtro animi perturbatio.

PHiltra ἀπὸ τοῦ φιλεῖν, ab amando dicta, aliis verò à lacuna ſeu fovea, in medio menti poſita, quæ ut magìs vel minùs conſpicua eſt, ità & majorem vel minorem faciei venuſtatem conciliat, in duplici differentia circumferuntur. Quædam enim parantur, & iis exhibentur, apud quos in gratia homines eſſe cupiunt. Tale fuit Philtrum, autore Cuſpiniano, Friderico Auſtriaco, Rom. Imperatori à nobili fœmina exhibitum, quo impetrare tentavit, ne maritus ejus gratiâ & favore Imperatoriæ Majeſtatis excideret. Quàm infeliciter autem illud Imperatori ceſſerit, funeſtus illius exitus declaravit. Alia, communiter ſic dicta, iis exhibentur, quorum amorem & concubitum homines nefarii expetunt; quorum alia ſunt Magica, alia pharmacorum vi & efficaciâ parari poſſe falsò creduntur; quibus qui utuntur, in eos leges Romanorum graves & capitales pœ-

nas

nas conſtituunt. An verò Philtris amor conciliari poſſit, adhuc ſub judice lis eſt; nec ſine cauſa controvertitur, multos iis ad furorem & inſaniam adductos certum eſt, & extra omnem dubitationis aleam poſitum. Inſtantiæ loco ſit ſequens hiſtoria. Puella quædam, quam Framptonium, oppidulum ad quartum Dorcheſtriâ lapidem diſſitum, protulit, tenui fortunâ, ſed utcunque formoſa, hæc ab aliquot annis deperibat juvenem, Franciſcum Meech, viginti quatuor annos natum, honeſtum & probum, agriculturæ deditum, & indè triginta circiter per annum librarum Anglicarum reditu locupletatum, Steepletonii habitantem; qui quidem illam repudiabat, nec redamare ullo modo poterat, optima tamen illi optans. Huic, fœniſecii tempore in fœno, falce ſecato, furculâ verſando, ut perareſceret, occupato, operis ſeſe ſociam adjunxit juvencula illa, ut hac occaſione, veteris veſtigia flammæ, ſi fieri poſſet, excitaret, & juvenem amoris laqueis irretiret. Circa veſperam, fœno in metas pro more extructo, humi procumbentes mutuâ converſatione & dulci colloquio corpora, æſtu & labore defeſſa, reficere ſtudent; ibi tandem juvencula cum juvene expoſtulare, mirari ſe, quòd in amore non

non reſponderet, cùm perditè eum amaret; ipſę verò ne viſitatiunculâ quidem ullâ dignam judicâſſet; rogare etiam, ut ſeſe domum ſuam comitaretur. His blanditiis perſuaſus, annuit ille, etſi invitus, ne nimiæ inhumanitatis crimine ab ea impoſterum accuſaretur. Quò cùm perventum, humaniter illum excepit, & allatâ cereviſiâ ipſi propinans, ut amantes mille artes experiri ſolent, quin etiam vias ſæpe vetitas tentant, ut amato potiantur, ipſi porrigit poculum,addito ſaccharo & pulvere; quem ille, nihil mali ſuſpicans, nucem moſchatam eſſe putabat; quo, cùm eſſet ſitibundus, ſubitò epoto, de ingrato ejus ſapore conqueſtus eſt; paulò pòſt capite dolere, & malè ſe habere cœpit. Puella facinoris conſcia, id nimio diei æſtu & improbo labore fieri ſimulabat; & ut aliquandiu ſuper lectum decumberet, ſuadebat; fore ſic, ut refectus meliùs haberet. Adductum protinus in cubile hortatur, ut depoſitis veſtibus lectum intraret, & ſecum pernoctaret; quod cùm ille recuſaret, acriùs inſtabat, ſéque parentibus abſentibus lecti conſortem offerens amplexus ejus experturam promittit; Quare perterritus, in noctem jam conjectus, valedictâ puellâ ad proprios lares, duobus milliaribus diſtantes,
pro-

properat. Vix milliaris quadrantem progreſſus, tertiâ vice ad revertendum omni cogitationum vi, ut reſiſtere minimè potuerit, impellitur; ædes tamen non intrans. Tandem reſumpto animo, quàm poteſt, celeri pede multâ nocte domum tendit, per totam inſomnis. Sequenti die de capitis dolore & aurium tinnitu querulus, cibum averſatur, omníſque inter luctus ibat dies; noctem verò ſine ſomno triſtitia mœrórque conſumebat. Mater juvenis magnam in filio obſervans metamorphoſin, quid rei eſſet, ſciſcitatur. Tum ille ſe à nefaria illa juvencula peſſundatum eſſe exclamat, quam tantum abeſt ut amare poſſit, ut eam ob perpetratum adeò illicitum & exitioſum facinus ſummo odio habeat. Illa verò cum propinquis ipſum conſolando, objurgando etiam ab hoc animi affectu liberare inſudârunt, ſed fruſtrà, rebus ejus indies in pejus ruentibus. Solitudinem enim amplexus, omni ſe conſortio amicorum ſubduxit, nec ad interrogata reſpondit; auditu quoque privatur, & erecto ad ſydera vultu immotus, quaſi ἐκστάσει aliquâ correptus, per plures horas ſtabat; interdum etiam totâ nocte per campos vagabatur, de miris viſionibus ſomnians. Tandem etiam in pruritum in-

cidit

cidit totius, admodum moleſtum, ulcuſculis paſſim in corpore erumpentibus, & contabeſcente toto. Huic operam meam, licèt tardiùs, & non niſi elapsâ fere ſeptimanâ imploranti, exhibui primò radicem aſari pulveriſatam cum polline radicum contrayervæ, oxymelite permiſtam pro vomitorio, & poſtea etiam infuſione Croci metallorum ventriculum ſubverti. Quibus cum εὐφορίᾳ operationem ſuam perficientibus, ad diaphoretica acceſſi, tertiâ vice ſudorem movendo bolo ex extracti juniperi ʒij. Extract. Angelicæ & Theriacæ ana ℈j. Rad. contrayervæ ʒß. Mixturæ ſimpl. ℈ß. ſalis abſynth. gr. vj. conflato, Aquæ cardui benedicti & acetoſæ ana ℥jß. & Aquæ protheriacalis ℥ß. diluto. Alvum interim ſegniorem clyſtere, quoties opus erat, officii ſui admonui. Tandem ipſi ter in die exhibui eſſentiam meliſſæ & hyperici cum pulvere contrayervæ, & aqua Naſturtii aquatici, ſyrupo acetoſitatis citri leniter edulcoratam. His paucis remediis, unà cum optima victûs ratione, illi præſcripta, tantum profecimus, ut miſer hic ad mentem rediret, & conſueta vocationis munia obiret, melancholicus tamen, & ab illo, qui olim erat, plurimùm mutatus atque nimiùm macilentus, cui ideo

lactis

lactis caprini uſum injunximus, cùm aſinini copia non ſuppeteret, additâ inſuper opiatâ cordiali. Autumno verò purgavimus, ne forſan recidivam pateretur. Supervixit annos tres vel quatuor admodum mœſtus, & juvenes ipſi familiares ſedulò admonebat, ut ſibi, ceu à Circes & Calypſus diro veneno, tinctis poculis caverent.

OBSERVATIO XXIV.

A Quartana graviſſimus Ventris dolor, ſubſequente dorſi opiſthotono.

HEroina, ſtemmatis claritate & omnigenarum virtutum decore inſigniter cumulata, Anna, Nobiliſſimi Viri, D^ni Thomæ Trenchard Armigeri meritiſſimi conjux lectiſſima, Scorbuticâ labe, à Nobiliſſimo Parente, D^no Thomâ Earle, ordinis Armigerorum, ſcorbuto extincto, à teneris unguiculis hæreditario quodam jure inquinata, unde & in juventute maculis crurum & pedum tumore œdematoſo, nec non aliis ejus farinæ ſymptomatibus, à ſeroſa materia deorſum ruente, efflictim fuit emacerata; hæc viceſimo tertio circiter ætatis ſuæ anno ab humore melancholico in primis viis, circa lienem

lienem & vicina viſcera putreſcente, & efferveſcente, incidit circa Autumni, morborum parentis, initium, febribus tunc publicè graſſantibus, in quartanam, quæ ſæpius cum ſcorbuto conjungi, haud raro etiam in eum degenerare ſolet; quâ neglectim habitâ, cùm non eſſet admodum moleſta, nec rigorem admodum vehementem & pungentem, ſed refrigerando potiùs dorſum afficientem ſentiret; ſucceſſit tandem colica graviſſima, materiâ febrili per imperfectam criſin ad inteſtina ſubitò delatâ, cum vomitu inſigni pituitoſorum humorum, interdum etiam bilis æruginoſæ, ventriculo conſortii lege affecto; non quòd bilis ab inteſtino colo ad eum transferatur, ſed quatenus undique & ab ipſa veſicula fellea & duodeno inteſtino bilis effera reddita ventriculo promptiſſimè communicatur. Ab hac quinque vel ſex dierum ſpatio Enematum, quorum in hoc affectu maximum eſt commodum, nec non Mannæ cum oleo amygdalarum dulcium & ſimilium, tandem etiam Aquilæ dulcis, cum pilulis benedictis permiſtæ, uſu, ſeſe fauſto Apollinis numine vindicavit, ut perfectè convaluiſſe videretur. Sed breve fuit iſtius reſtitutionis momentum. Siquidem vix effluxo unius menſis ſpatio dolores iſti ventris,

tris, colicorum æmuli, recrudeſcentes de novo claſſicum canunt, qui quidem miſellam tam crudelibus dolorum tormentis conficiebant, ut vix credideris Tityum amatorem tantos cruciatus perpeſſum fuiſſe, cùm vultures apud inferos jecur ejus divellerent. In hac nobili venter deprimebatur adeò, ut cum umbilico introrſum revulſus lumbis quaſi annexus videretur. Nec erant dolores hi Coli ductu circumſcripti, ſed modò hæ, modò illæ abdominis partes, ſæpe etiam univerſum abdomen corripiebatur; cujus inſtabilitatis cauſam in facultatis expultricis laborem, cauſam morbificam, jam huc, jam illuc expellentis, referendam judicavi. Accedebant itidem vigiliæ, ſitis, atque totius corporis, ſed ventris maximè, æſtus, ob humorum ebullitionem, calorem in toto accendentem. Ad hanc Heroinam vocatus, ut ei in tanta dolorum carnificina, ſi fieri poſſit, ſuppetias ferrem, ſtatim Enema injiciendum curavi ex ſolo lacte, doloribus demulcendis accommodatiſſimo, addito Diacatholico & oleo amygdalarum dulcium; poſtea etiam ex jure omaſorum, anodynis & emollientibus medicato, cum oleo nucum juglandium & infuſione croci metallorum & ſimilibus. Extrà verò ventrem inungi cu-

ravi

ravi oleo anethino, camomillæ & amygdalarum dulcium, ſuperpoſito vervecis omento. Multa hujus generis alia ab adſtantibus fuerunt propoſita; à quibus abſtinendum duxi, cùm in Colica ſæpe, applicatis abdomini medicamentis, ità impulſam fuiſſe materiam ex ventre in dorſum, ut offenſis partibus nervoſis Paralyſin notham ſubſequi obſervârim. His verò parùm proficientibus, ne clyſterum frequenti uſu inteſtinis exſiccatis facultas expultrix ſegnior redderetur, aut alioquin inteſtinorum tonus & temperies læderetur, alvum ſollicitandum ſuaſi Mannâ cum oleo amygdalarum dulcium recenti, decocto florum chamæmeli dilutâ, qua ſegniùs operante, ſequenti die propinavi infuſum duarum drachmarum Rhabarbari optimi in aqua camomillæ, in eodem uncias duas mannæ ſolvendo. Etſi verò leniter & ſine offenſa potiuncula hæc operationem ſuam perfeciſſet; attamen nec dum pacatis doloribus, rogavit ægra, ut ſibi Laudanum devorandum præberem, cujus uſu ſe quondam à graviſſimis dentium doloribus liberatam fuiſſe affirmabat; ídque tantâ vehementiâ petiit, ut nullus eſſet denegationi locus reliquus. Verebar ego, ne humores vitioſi, inter inteſtinorum tunicas concluſi,

concluſi, aſſumpto laudano fixi retinerentur, & cura protraheretur, quia tamen in hac Heroina virtus utcunque fortis erat, & calor naturalis ſufficere videbatur, & vigiliæ quoque urgerent, ut metus eſſet exolutionis; petitioni ejus morem gerens, exhibui ei tria grana Laudani, incitatus à Practicis, qui idem concedunt in doloribus iſtiuſmodi, ab acribus & mordacibus humoribus oriundis, ad acrimoniam eorum mitigandam, eos etiam incraſſandos, & motum morsúſque eorundem inhibendos, maximè verò cùm metuerem, ne effera iſta materia ad caput aut alia membra, quod ſæpe fieri ſolet, rapta, ſubtilitate ſuâ ægram in vitæ diſcrimen conjiceret; Ab hoc præſidio, inteſtinis ſtupore affectis, dolores aliquo modo mitigati, ſed non penitus pacati reſederunt; imò virtute medicamenti attritâ, majori tyrannide in miſellam ſævière. Urgebat ea aliam doſin, quam concedere nolui, ob materiæ in inteſtinorum tunicis concluſæ multitudinem; & evacuationem potiùs inſtituendam ſuaſi, maximè, cùm excrementa acidum redolerent, in nullo alio mihi unquam obſervatum. Sed moleſtè tulit negationem, adeò quidem, ut alium Medicum in conſilium adhiberet; qui non tantùm Laudani uſum

probavit, ſed & bis in die minori doſi idem devorandum dedit, quin & per clyſterem me inſcio injiciendum curavit. Unde dolores pro tempore ſedati, ſed poſtea denuo recrudeſcebant. Cùm verò iis non eſſet ampliùs ferendo, neſcio cujus ſuaſu abdomini lintea, in aqua papaveris erratici intincta, frigidè applicavit, infelici admodum ſucceſſu. Repulſis quippe & ad interiora compactis humoribus, apprehenditur ſubitò horrendâ catalepſi, in qua, mortuæ inſtar, ultra bihorium perſiſtebat; nihil audiens, vel videns, nihil puncta ſentiens; per os tamen oblata promptè deglutiens, donec tandem inſtitutis frictionibus partium dolorificis, & paucis in os infuſis, cedente morbo ad ſeſe rediret, actorum omnium neſcia & ſummè debilis. Reparatis aliquantulum effœtis morbo viribus, purgans aſſumpſit medicamentum; atque ab hoc malo impoſterum libera, ſed nondum omnino evictis ventris doloribus, quin interdum recidivam minarentur, cœli ſolíque mutandi gratiâ rus receſſit, ſi forſan valetudini ſerenior adſpiraret aura, periclitatura; ſed ſpe fruſtranea. Siquidem dorſi opisthotono correpta pectus in altum elevabat, ſpinâ retrorſum arcûs inſtar reflexâ, cum dolore & ejulatu immenſo,

menſo, tanto & tam violento ut in vita & praxi mea ſimilem caſum nec viderim nec audiverim. Continuabant hæ dorſi retorſiones, per intervalla quidem, ſed breviſſima contingentes, per quatuordecim fere dies. Cùm verò immanes eſſent hæ convulſiones, & creberrimæ, ſine prævia præparatione ad evacuationem acceſſimus, cum pilulis tartareis, additâ reſinâ Jallapæ & caſtoreo; & cùm virium imbecillitas venæ ſectionem non admitteret, cucurbitulas cruribus affigendas curavimus, & revulſiones alias per enemata & frictiones inſtituimus. Per os verò aquam lumbricorum, & Epilepticam Langii, Aquâ flor. Tiliæ & ceraſorum dilutas, addito ſyrupo de pœonia, exhibuimus. Extrà verò ſpinam fovimus emollientibus & diſcutientibus, & à fotu inunximus unguento Salomonis Alberti contra contractiones in Scorbuto, & aliis quibuſdam, quibus convulſio hæc delinita receſſit Deo auſpice. Refocillatam verò ægram tempore quo Sirius urit œſtro, raucæque cantillant cicadæ, ad aquas minerales vitriolatas in vicinia ſcaturientes ablegavimus, quibus multùm conducentibus, hactenus pancraticè vixit, ſana & vegeta, atque rerum ſuarum ſatagens. Deo ſit laus & gloria.

OBSERVATIO XXV.

Eryſipelas phlegmonodes horrendum totius faciei & capitis.

Cum forſan per vocationis munia in magnis Julii caloribus ſub Sole, dum Sirius flagraret immenſo æſtu, per totum diem iter facerem, ſexageſimo ſecundo ætatis meæ anno, circa veſperam, opere foris faciundo & de via defeſſus domum rediens, cœnâ parcâ manu factâ, ad defatigatas itineris tædio vires refocillandas, ſolito citiùs cubitum me contuli: Sub multam noctem ſomno expergefactus dolui à capite, ut vix eſſem ferendo. Mox horror quidam totum corpuſculum meum perfudit, quem inſignis totius calor excepit cum levi quodam delirio & vigiliis, ità ut reliquam noctem inſomnis traducerem. Manè facies omnis roſeo rubore tincta, & cum capite in tumorem ingentem elata apparebat, atque in ſingula horæ momenta magìs magíſque intumeſcebat, ità ut oculos, elevatis ſcil. palpebris & vicinis partibus ac præter naturam auctis, aperire ampliùs non potuerim; Monſtrum horrendum ingens cui lumen ademptum; Unde

de facilè collegi, ex ambientis per diem calore & ſqualore flagrantiſſimo, nec non moleſtâ in via æſtuoſa & pulverulenta equitatione, in tenera præſertim & macilenta conſtitutione, calido & ſicco temperamento prædita, ſanguinem plus æquo efferveſactum & bilioſiorem redditum, indéque peculiari modo corruptum, è venis capillaribus per poros in cutem & ſubjectam aliquatenus carnem, à natura, rebus ſuis conſulente, expulſum fuiſſe; & in capite debiliori Eryſipelati, quod Latinis ſacer ignis, & ſancti Antonii ignis dicitur, quo divum hunc, qui incendiis præeſſe creditur, eos, qui numen ejus non reverentur, affligere arbitrantur, anſam præbuiſſe; non quidem puro, ex ſanguine tenuiſſimo & calidiſſimo, qui ſæpe bilis nomine inſignitur, nato, ſed phlegmonoſo, quòd non pauco tenui ſanguini, ſed multo etiam craſſo, phlegmonis autori, permixtum ſit. Huic ſanguinis fervori febris, ſynochi non putris æmula, eſt adſcribenda; & delirium, à ſpirituum incaleſcentia & inflammatis cerebri membranis oriundum. In tanto rerum diſcrimine, ut curam feliciter auſpicarer, cùm perciperem magnam humorum copiam adeſſe, & Eryſipelas φλεγμονῶδες eſſe conſiderarem,

 admiſſo

admiſſo priùs enemate chirurgum vocandum curavi, ut venæ ſectionem inſtitueret. Sed cùm liberi mei viderent, me vix mente conſtare, ne forſan tam generoſo præſidio temerè uterer; in conſilium adhibuerunt Doctiſſimum D^num^ Nath. Heighmorum; qui cùm phlebotomiam probaret, ſectâ cephalicâ ſanguinis circiter unciæ octo detractæ ſunt, non ſine inſigni meo commodo. Potuiſſem plus ſanguinis profundere; Sed cùm ſanguis ſit frænum bilis, eum parciùs emittendum duximus. Sequenti die evacuationem inſtitui, poſthabitâ concoctione & humorum præparatione, cùm turgens & effrenis humor celerrimè ſit evacuandus, priuſquam ſe ad nobilem partem recipiat; & præterea, cùm tenuis ſit, medicamento non invitus cedat. In purgantium cenſu omnia acuta & impensè calida ſedulò vitavi, quòd febrim augeant, & vires dejiciant; aſſumpſi verò clemens & benignum cholagogum ex infuſo Rhabarbari, caſſiæ & tamarindorum cum cinamomi tantillo, addito ſyrupo roſarum. Interim ad ſanguinis bilioſi excandeſcentiam leniendam, acrimoniam ejus obtundendam, humorum quoque ad partem affectam affluxum inhibendum, & febrim extinguendam, uſus ſum Emulſione amygdalarum

dalarum dulcium, & quatuor ſeminum frigidorum majorum; interdum etiam ptiſanâ ſimplici, tincturâ quoque roſarum, quibus omnibus adjeci gelatinam Cornu Cervi. Ad diſſipandum præterea ſanguinis affluxum, ſudores aliquoties ſuſcepi, aſſumpto Rob Sambuci cum Antimonio diaphoretico fixo, aquâ fumariæ & veronicæ diluto. Quod topica attinet, à refrigerantibus abſtinui, ne bilis ab extrà intrò ad cerebrum repelleretur; quod accidit eodem fere tempore Dom. Doct. Aclan, Medico Exonienſi, mihi amiciſſimo, qui indè mortem obiit. Uſus autem ſum decocto florum Sambuci cum vino, addito Sapone Veneto & Theriacâ, in quo petias intinxi, quas expreſſas loco affecto applicavi, & manè ac ſerò per horæ quadrantem continuavi, ſuperimpoſitâ farinâ ſecalinâ, linteo mundo inclusâ; & procedente tempore, ſuffumigiis ex foliis ſabinæ, ſuccino & thure materiam Eryſipelatis diſſipavimus. Interea etiam ſymptomatis gravioribus debitis præſidiis ſuccurri. Quibus debitè adminiſtratis menſis ſpatio, Deo opifice & moderatore, in integram valetudinem ſum reſtitutus; id quod Dei bonitati adſcribo, cui laus & gratiarum actio in omne ævum.

OBSERVATIO XXVI.

Stupor ab aeris calore in conclavi occluſo.

Cum in ipſo belli Cæſareani æſtu, relictâ dulciſſimâ patriâ, Gedanum, nobile Boruſſiæ Emporium, ubi Fiſtula ſeſe in Mare Balticum exonerat, moleſtiſſimo itinere ſeceſſiſſem; partim ut conſanguineos meos, qui lares ibi fixerant, viſerem; partim etiam, ut ſtudiis operam navarem, in Gymnaſium, Keckermanni famâ celebre, receptus, cùm tenui ſumptu exiguóque ſtipendio inſtructus eſſem, diſcipulos privatim erudiendos ſuſcepi; & inter eos binos fratres, optimæ indolis & ſpei pueros; quorum alter decimum quartum, alter vix duodecimum ætatis annum erat ingreſſus. His, injuncto penſo, quando December canus, & bruma impotens Aquilone rauco mugiebat, ut Martialis utar verbis, in hypocauſtulo undique occluſo & ab aeris introitu probè munito, cui ex uno latere præfurnium, parva ſcil. fornax, pro more iſtius gentis, erat adſtructa, in quo lignis accenſis ignis concluſus hypocauſtum calefaceret, relictis; in Muſæum

ſæum me per ſemihoram ſubduxi. Reverſus, utrumque humi proſtratos inveni, non ſine ſumma animi conſternatione, quòd eos ad plures abreptos putarem; qui tamen, feneſtris & januis apertis, ſolo aeris libero ingreſſu, & reſpiratione ejus, fuêre liberati; de capitis dolore aliquandiu queruli, qui tamen paulò pòſt ſponte ſuâ evanuit. Et certè niſi in ipſo temporis articulo adfuiſſem, proculdubio vitam ſuffocatione expirâſſent. In his nimiâ hypocauſti, frigore intenſiore exiſtente, calefactione, cùm non pateret alicubi, aut per caminum aliquem exitus; aer concluſus effervefactus, cordis calori ventilando & animali ſpiritui reficiendo minimè ſufficiebat, imò planè ineptus erat; unde ſuffocationem ſequi neceſſe eſt; quod & nuper admodum contigit nepotulo meo à prunis in conclavi anguſto undique occluſo, accenſis, quorum noxio vapore inter prandendum præcluſis velut animæ ductibus, ſubitò attonitus procidebat, ut vix magno labore reſtitueretur.

OBSER-

OBSERVATIO XXVII.

Cæcitas poſt convulſiones incurabilis.

INfortunium, & dirum quidem infortunium eſt Cæcitas, quando viſus, omnium ſenſuum præſtantiſſimus, in totum aboletur; qui affectus ἀμαύρωσις nominatur Græcis. Idem tamen humanum, & humana omnia homini humanè ferenda ſunt. Huc accedit, quòd ſic jubeat neceſſitas; cum qua nec ſuperi, nec inferi pugnaverint. Hujus miſerandum exemplum nobis præbet Urſula, Nobiliſſimi Viri D^ni^ Henrici Henning, in pago Poxwell, non procul ab Oceano ſito, habitantis, conjux lectiſſima, cui nihil deeſt ad pulchritudinem & faciei decorem quàm viſûs deprivatio; triginta circiter annos numerans, mediocri corporis habitu prædita, & benè ſana, niſi quòd levioribus quibuſdam convulſionibus Epilepticarum æmulis per intervalla longiora corripiebatur. Hæc paucis à duro partu effluxis ſeptimanis, ſive commotis in cerebro humoribus à nixûs difficultate, ſive ex mœrore & luctu filioli immaturâ morte perempti, in ſolito graviores & maximè horrendos incidit convulſivos

vulſivos motus, Epilepticorum æmulos; quorum plures per diem patitur inſultus, & majori, quàm antea, tyrannide in miſellam ſævientes. Huic tam horrendo malo, ſi Deo viſum fuerit, debellando variis uſa eſt præſidiis & machinis; tum in ipſo Paroxyſmo revellentia, diſcutientia, & ſpecificâ virtute pugnantia; tum & extra eum evacuantia, vomitoria, & occultâ qualitate agentia, ſedulò adhibendo; ſed fruſtrà & ſine fructu, inſultibus non tantùm crebriùs, ſed & majori æſtu excandeſcentibus, cum ſumma virium jactura; tandem ſuperato paroxyſmo admodum violento, ad ſeſe reverſa, conqueritur de omnimoda visûs abolitione; adeò ut, admotâ oculis candelâ, ne ſcintillam quidem ſplendoris videre ſe affirmaret; cùm tamen, citra manifeſtum oculorum vitium, Pupilla quoque pura appareret; unde & hanc ſubitam visûs amiſſionem Guttam ſerenam nominare ſolent Practici; nec impoſterum ampliùs, quòd ſciam, Epilepſiæ ſpaſmo correpta eſt. In hac nobili Heroina, digna ſanè, quam nec morbus ullus, nec ipſa ſenectus unquam attingat, cæcitatem contigiſſe puto, ab ingenti capitis in paroxyſmis Epilepticis concuſſione, retorſo forſan optico nervo; vel, quod probabilius, humoribus

humoribus in cerebro commotis, aut ſanguine è vaſe aliquo tenuiore rupto ad nervos opticos ſubitò confluente, eóſqueità obſtruente, ut videndi facultas omnino perierit; id quod vero perquam ſimile videtur, cùm cæcitas fuerit repentina, & cæteri ſenſus, principéſque ſimul facultates vegetæ apparerent; unde cauſam proximam cæcitatis hujus non in cerebrum, ſed nervum opticum rejiciendam judicavi. Angebatur miſella de hac calamitate intimis ſenſibus, oculorum orbitatem continuò deflens, nullis ſumptibus parcebat, ſi qua arte viſum recuperare poſſet; & tum domeſticis cùm exoticis conſiliis, diu multúmque uſa, nihil profecit; ſed cæca reddita, cœca manet in hunc diem anni, ab accidente hoc quinti, inter Orcum & Solem errans, & ut dicebat Aſclepiades,una famula comitatior incedens; nec remediis aliis, quàm æquo animo, unico & certo hujus calamitatis remedio, utens; ſéque aureâ illâ ſententiâ erigens, quam Romani voluptas Theatri,Muſarúmque deliciæ, Plautus in Captivis uſurpat:

Dii immortales id voluerunt, vos hanc ærumnam exſequi:
Decet id pati animo æquo; ſi id facietis, levior labos erit.

OBSER-

OBSERVATIO XXVIII.

Cæcitas triduana, poſt convulſiones Epilepticas, ſubſequente viſûs depravatione curatâ.

GEneroſa D^na^ Margareta Radford, Scorbutica, quam ſuprà Epilepſiæ ſpaſmis ab abſceſſu, in infimo ventre rupto, correptam fuiſſe narravimus; poſtquam ab iis fauſto Apollinis numine vindicata eſſet, ſubitò omni viſu privatur, eodem poſt triduum recuperato; id quod craſſo venenatæ auræ halitu ab alvina ſentina effumante, & principium nervorum opticorum occupante, factum duximus. Huic ſucceſſit viſûs depravatio, qua res eædem geminæ apparebant, mures quoque, culices, aliáque volatilia & reptilia oculis obverſabantur, & ſimilia. Quæ quidem à Medicis Melancholiæ effectus judicabantur; quæ ſæpe patientes fortibus deluſionibus decipere ſolet; cujus obſtinati humoris inſeparabilis comes exiſtit timor; unde ob falſas has imaginationes hanc generoſam fœminam moleſtari affirmabant, cùm multi tali ſpiritu in corpore genito poſſideantur, imaginantes ſe ἀκεφάλους, naſum

naſum ſe adeò longum habere & craſſum, ut cubile impleat; alii ſeſe mortuos eſſe, cibum averſantes, quòd mortuis cibo non ſit opus. Hiſce terriculamentis, falsâ ſuppoſitione mixtis, extraordinariam triſtitiam jungi aſſerebant, & in hac exigentia rationi in tantum commandandum eſſe ſuadebant, ne phantaſia illuſionibus auſcultet. Etſi verò ex Hippocratis oraculo verum ſit, Epidem. 6. quòd melancholici frequenter Epilepſiâ, & Epileptici melancholiâ corripiantur; attamen in hoc nobili Subjecto cauſa depravatæ viſionis aliunde videtur petenda; à vaporibus ſcil. craſſis à ſanguine venoſo, tartaro ſcorbutico luxuriante, elevatis, & ſpiritibus permixtis, & oculos turbantibus; unde ſpecies viſibiles in utroque oculo inæqualiter recipiuntur. Nec enim in oculis ulla contorſio, aut ſitûs mutatio, à convulſivis motibus forſan inducta, inſpicienti apparebat, quæ geminatæ viſioni anſam præbuiſſe poterat. Iiſdem craſſis vaporibus, ſpiritibus permixtis, culices aliáque volatilia & reptilia, oculis obverſantia, ſunt adſcribenda; quemadmodum & murium falſa viſio; niſi illud ſanguini felino, ab ea, contra inſultus Epilepticos, mulierum ſuaſu, ex aqua ceraſorum ebibito, tribuere volueris,

Mart.

Mart. Weinrichii obſervatione incitatus, quam Clariſſimus Schenckius, de animalium venenis agens, annotavit. Rogatus ab ægra, ut ei ad reſtituendum ex integro viſum medicinam facerem, cùm fonticulos humeris & femori affixos haberet, purgato toto corpore, & capite in particulari per maſticatoria & gargariſmos, & aliis, quantum fieri potuit, harum apparitionum cauſis reſiſtentibus, vaporibus ſcil. malignis à partibus inferioribus elevatis, inunxit totum caput ſequenti unguento manè, ſuperpoſito pileo ex veſica bubula, cui aliud munimentum erat ſuppoſitum, ut periculoſiſſimum arceretur frigus, erat autem tale; ℞ *Rad. Pæon. & ſemin. ejus ana ℥j. Beton. chamæpyt. Verben. ana Mjß. Hederæ repentis & arbores foliis minoribus amplexantis, Hyperic. totius ana Miij. Hellebori nigr. veri totius Mij. flor. paralyſ. Lavend. & ſambuc. ana p. vi. Baccar. Lauri, Juniper. recent. ana ʒvj. Nucis moſchatæ, macis ana ℥ß. caryoph. cardamom. ana ʒij. Axung. ſuillæ recent. ℥xvj. pingued. Anſeris ſine ſale, olei palmei ana ℥viij. Vini Canar. ℔ij. Coquantur lento igne ad vini conſumpt. & omnium Putrilaginem. Mox fiat expreſſio, dum omnia calent, in aq. frigidam, poſtquam pinguedo refrixerit, colligatur ejus purior pars,*

pars, ſeparanda à terreno craſſamento, & in uſum adhibeatur. Huic etiam acceſſit uſus Electuarii ſequent. ℞ *folior. Hellebori nigr. veri Mj. flor. Hyperic. p. vi. flor. Sambuc. & paralyſ. ana p. iiij. ſemin. Pæon. & nigell. roman. ana ʒß. Cortic. nucis jugland. vetuſtæ, Raſur. Cranii human. non ſepulti ana ʒx. Hiſce conciſis & trituratis affunde ſpirit. Vini opt. ut ſupernatet iiij. digit. Fiat in vaſe concurſûs digeſtio ad tincturæ extractionem. Poſt tridui macerationem filtretur per Chartam Emporeticam, & fiat exhalatio ad mellaginem, cui adde mellaginis Baccar. Juniper. partes æquales.* ℞ *etiam flor. hyperic. Verben. Gentian. Nepetæ ana ʒij. Cornu cervi, Cranii humani & cervini ad ſummam albedinem calcinatorum, tritorum & ſpir. Vitrioli inebriatorum, tandem in paſtillos reductorum ana ʒijß. Coralli rubr. præp. Margaritar. præp. ana ʒjß. Lapidis Lazuli & Armeni præp. ana ℈v. Omnia ſeorſim pulveriſata miſceantur, & cum ſ. q. Mellaginis prædictæ reducantur in Electuarium*; de quo manè devoravit quantitatem jugland. per dies aliquot, & poſtea doſin ſæpius iteravit. Quibus aliquandiu continuatis, Deo auſpice, liberata eſt à falſis & geminata viſione, à fortibus & malignis vaporibus oculos afficientibus, viſioni per-

perturbatio exiſtentibus, perturbando ſpiritus, viſibiles radios dividendo, & ipſos etiam oculorum humores obſcurando.

Deo ſit Gloria.

OBSERVATIO XXIX.

Tenſio nervorum cervicis poſt Rheumatiſmum Scorbuticum.

INter morborum iliada, corpora humana undique immensâ Phalange obvallantia, vix ullus occurrit adeò πολύμοςφος, & tanto graviſſimorum ſymptomatum ſatellitio ſtipatus, ac ſcorbutus, barbarè ſic nominatus. Huic crebro ſupervenire ſolet Rheumatiſmus, ſeu Rheumatica affectio Neotericis dicta, dolores graviſſimos in omnibus fere corporis partibus ſeriatim excitans, & nunc brachia & manus, nunc pedes & tibias, aliáſque partes affligens. Hac carnificinâ, cùm Nobiliſſimus Dnus Johannes Michell de Kingſton Armiger, anno ætatis ſuæ circiter quinquageſimo quarto efflictim emaceratus eſſet, ità ut lecto affixus nec commovere ſeſe, nec à miniſtris, niſi cum maxima moleſtia &

 dolo-

dolorum æſtu, moveri potuerit; tandem, Diis hominibúſque applaudentibus, ab ea debitis præſidiis liberatus, graviter urgeri cœpit tenſione ſeu rigore cervicis, qua cervix immobilis in contraria à muſculis oppoſitis trahebatur, ità ut flecti ad voluntatis arbitrium nullo modo potuerit. Haud infrequentes ſunt à Rheumatiſmo, ſed maximè in ſcorbuto, tenſiones hujuſmodi cervicis, ab humoribus ſeroſis, à capite viâ declivi deſcendentibus, & circa oſſium membranas & muſculos hærentibus; ſunt ordinariæ, Eugaleno teſte, qui nonnullos ſcorbuticâ labe inquinatos, graviſſimis nuchæ doloribus, iíſque tenſivis & prementibus affici refert. Ut huic Viro optimo mihíque amiciſſimo auxilium & ſuppetias ferrem, cum eo ad Thermas naturales, quas licèt Apolloneus γῆρας ἀνθρώπων nominet, Athanæus tamen λουτρὰ inquit ἄκη πόνων παντοῖα, profectus ſum, quibus, præmiſſis univerſalibus, per viginti qūinque dies, tempeſtate frigidâ, validiſſimis Aquilonibus circa Septembris finem ſæviente, ulteriorem immerſionem diſſuadente, uſurpatis, haud leve ipſi acceſſit commodum, pacatis maximè doloribus per Cataclyſmum ſive Embrocationes thermales, alternis diebus inſtitutas, remanente ali-

quo,

quo, ſed leviori rigore; cui domum reverſo Unguentis anodynis, emollientibus & reſolventibus per vices, & præſertim axungiâ humanâ, ſæpius parti affectæ manu calidâ validè affrictâ, mederi laboravimus; appoſito itidem capiti Emplaſtro ex cephalico cum Euphorbio, de Betonica & Tacamahaca, balſamo Peruviano exceptis, conflato. Internè etiam ter quatérve in die aſſumpſit Spiritum Cornu Cervini ſat largâ doſi, & interdum etiam ſpiritum Salis Ammoniaci è cochleari Vini Hiſpanici vel aquæ Epilepticæ Langii aut pœoniæ compoſitæ cum æquis partibus Aquæ Raphani compoſitæ. Eſculentis & potulentis miſcebat cephalica appropriata, flores ſalviæ, anthos, ſtœchados, Nucem moſchatam, Macerem, Caryophyllos, & ſimilia. Cereviſiæ præterea immerſit ſacculum è foliis ſalviæ, betonicæ, Roriſmarini, baccis Juniperi, Ligno Saſſafras, paſſulis, & ejus farinæ aliis. Tandem etiam maſticavit omni manè folia Tabaci, & ſternutatoriis cerebrum purgavit; quæ tamen rariùs admiſit, ob cervicis à commotione dolorem. His per hyemem continuatis, cùm veris internunciæ revolarent ad nos hirundines, Thermis denuò per tres ſeptimanas immerſus, ab iſta cervicis tenſio-

ne immunis, & cervicem quoquo versùm movens, domum rediit; cui impoſterum ab hoc malo immunitatem, & omnimodam incolumitatem largiatur Deus, bonorum omnium autor.

OBSERVATIO XXX.

Cancer in mala faciei, & externa naſi ſede exulceratus, & curatus.

CAncrum in univerſum plerique, ſi fuerit inveteratus & exulceratus, incurabilem ſtatuunt; vel ſaltem rariſſimè curari affirmant; quòd cauſa ejus ſit nimis pertinax & maligna, mitiora contemnat præſidia, & fortioribus exaſperetur. Sed en tibi exemplum curati in Virgine quadam, novendecim annorum, optimâ ſtirpe Tulſianâ oriundâ, quæ cum Amita ſua, Dna Tulſe, Vidua, pietate & humanitate omnibus nota, cohabitabat, in vicinia Chriſt-church, qua itur ab occidente ad Inſulam Vectis, magnam rem ex lupuli cultura quotannis faciente. Huic Virgini à tuberculo in mala, vix piſi aut ciceris magnitudinem æquante, protuberabat eo loci cancer jam exulceratus, labiis inverſis ſanguinem profundens, aſpectu horrendus,

rendus, diu noctúque excrucians, & altero latere ad naſum extenſus, luxuriante circum margines carne cruentâ. Hanc ſub manu habuit Chirurgus expertiſſimus D^nus^ Sampſon, qui tunc temporis in inſula Vecti commorabatur; qui nihil omiſit eorum, quæ in tali caſu ars præſcribere ſolet. Cùm verò res hujus Virginis indies in pejus ruerent, tandem in conſilium adhibeor. Etſi verò probè nôſſem hunc morbum ferè incurabilem eſſe, attamen cùm Galenus generoſi Medici eſſe dicat, terreri minimè morbi gravitate, ſed alacriùs adverſum morbo ire, ideo Thucydidis conſilium amplecti decrevi, qui in re dubia agere aliquid vel periclitanter, etiam jubet. Itaque in tam gravi & periculoſo caſu, quid mihi faciendum eſſet diu multúmque hærenti, communi cum D^no^ Sampſone conſilio ad ptyaliſmum provocandum nos convertimus; in quo, ex voto ſuccedente, hujus Virginis ſalutem, ſi à Deo diſceſſeris, unicè fixam eſſe judicavimus. Nec mora, in qua periculum erat, detracto ſaltem ſanguine, & purgatis primis viis, inſtitutus fuit ptyaliſmus per Mercurium dulcem, conſervæ roſarum permiſtum; quo feliciter & ex voto ſuccedente, ulcere ſaltem ſervato mundo, ſine aliis remediis

intra viginti dies à tam diro malo magno ſuo gaudio curata eſt virgo hæc, ſine inſigni aliqua cicatrice, in facie relicta, cujus decori imprimis ſtudioſæ ſunt id genus hominum. Deus ſit laudatus in ſecula ſeculorum.

OBSERVATIO XXXI.

Cancer in Palato mortalis.

CAncri, qui in profundo corporis, palato, ſede, & ſimilibus partibus exoriuntur, neque medicamentis, neque ſectione, neque uſtione curandi, Venerandi noſtri è Coo ſenis authoritate 6. Aph. 38. quòd ità magìs irritentur, & ulcera ad cicatricem perduci nequeant, aliáque ſymptomata periculoſa ſequi ſoleant. Plerumque enim cancro laborantes citiùs pereunt, qui curam tentant; quum forſan non curati longiore tempore perdurare poſſent, ut Galenus prolixè docet in commentariis ſuis. Id quod accidit Dom. Rogero Heiden, Chirurgo Dorcheſtrenſi, ſatìs felici, compotationibus indulgenti, habitu corporis pleniore, in ſecundo ſenio conſtituto; qui foliorum ſiccorum Nicotianæ & in funem contortorum atque inciſorum fumum,

fumum, per fictilem tubulum, à plaſte in eam rem formatum, hauriendo, palatum, neſcio quo malo fato, ſcintillâ aduſſit, unde oberta veſicula; qua neglectum ab initio habita, in ſenili corpore & in victu plurimùm delinquente, degeneravit in cancrum per univerſum palatum ſerpentem, ulceris circumcirca labiis prætumidis & inverſis, cum dolore & ardore, tanto ſæpius, ut totam noctem inſomnis tranſigeret. Et licèt multis uſus fuerit evacuationibus atque ſudoribus per decoctum ligni, & imprimis Antimonio diaphoretico fixo ſæpius in die aſſumpto, & aliis tam internis, quàm topicis; attamen nihil profecit, ſed cancro ultrà & ultrà excedendo progrediente, ità ut nec cibum ullum nec potum admittere potuerit, à morbo tandem ſuperatus, mortalitatem exuit; ut verum ſit, quod divinus poeta ſcriptum reliquit,

Stat ſua cuique dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ, ſed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

 OBSER-

OBSERVATIO XXXII.

Dolor dentium immanis.

DEntes, quaſi edentes dicti, non ſolùm ſecundùm nervos, eorum radicibus inſertos, & membranulam, dentis cavitatem intus ſuccingentem, ſed etiam in propria ſubſtantia ſentire, autor eſt Galenus, communis Medicorum præceptor & judex. Utut ſit, à Celſo maximis annumeratur tormentis. Id multi nôrunt, qui hujus mali crudelem tyrannidem experti ſunt. Inter alios imprimis Henricus Bridges, civis Dorcheſtrenſis, quadragenarius, carnoſus & homo quadratus, pannis laneis conficiendis victum quæritans; qui tam atroci dentium dolore afficiebatur, ut poſt plures ejulationes, totam domum complentes, ad nulla interrogata reſponderet, & exutâ mentis poteſtate, totus inſaniret & fureret. Ad hunc vocatus, ſtatim, injecto priùs Enemate, è cephalica largâ manu ſanguinem detraxi. Alterâ die dolore perſeverante cucurbitulas ſcapulis admovendas, & veſicatorium nuchæ applicandum curavi. Sub veſperam, urgentibus vigiliis, cùm per quadraginta

ginta horas nullum ſomnum vidiſſet, exoneratâ priùs alvo, tempora inunxi oleo populei, deſuper impoſitâ cannabe, ſucco lactucæ inebriatâ, & aſpersâ tantillo pulveris nucis moſchatæ, intrà verò exhibui grana tria Laudani. Subſecutus eſt eâ nocte ſomnus placidus cum dolorum remiſſione. Nè itaque dolores recrudeſcerent, & de novo claſſicum canerent; purgationem inſtituendam duxi, quam mentis inops hactenus admittere non poterat; exhibui igitur huic viro pilularum benedictarum ſcrupulos duos, quatuor granis reſinæ Jallapæ fortificatos, ad educendos ſeroſos, ſalſos humores, quibus cum εὐφορίᾳ operationem perficientibus, in integrum fuit reſtitutus, nec unquàm ampliùs ſimiles dolorum æſtus ſenſit.

OBSERVATIO XXXIII.

Calculus ſub lingua enatus.

NUlla eſt fere corporis pars, in qua non calculus generari queat; cujus quidem rei plura paſſim apud practicos reperiuntur exempla. Vidit Paulus Lapidem ex thorace egreſſum; Trallianus Zoar lapidis meminit, intra linguam nati; Benivenius in

colo

colo alium enatum teſtatur; Ugo refert, cuidam ex ventriculo evomitos; Veſalius plures in veſicula fellis reperit. Sic & nuper admodum quinque calculos è veſicula fellea in nobili quadam fœmina à morte exemptos novi. Idem vidit quoque Andreas Lacuna, cum aliis Anatomicis; quorum quidam etiam intra calvariam & meſenterium atque uterum conſpexerunt. Et retulit mihi Celeberrimus juxtà & Doctiſſimus Vir, Dom. D. Theodorus de Mayerne, Eques Auratus, Baro ab Aubone, Sereniſſimi Angliæ Regis Archiater, in ultima cadaveris humani diſſectione, quam ſuis manibus fecerat Lutetiæ, inſolitam ſibi & inauditam oblatam fuiſſe ſterilitatis cauſam, Calculum videlicet, exactiſſimè meatum illum claudentem, qui à proſtatis in urethram dehiſcit, per quem è Vaſis varicoſis ſemen vibrante ejaculatione expellitur; quem quidem calculum non niſi vi cum partis aliqua laceratione extrahere potuerit; Vidi & ipſe calculum in Nobiliſſimo Viro, Dom. Guilielmo Poole, Baroneto, ſecundum jam ſenium ingreſſo, ſub lingua, in carne illa molli, ei ſubſtrata, genitum, levem & tophaceum; longiorem, inſtar lapillorum, in capitibus Aſellorum mollium repertorum, qui ſponte ſuâ

decidebat

decidebat triennii ſpatio, ſubnaſcente alio, capitis inſtar Lerneæ ſerpentis, cui uno deſecto, aliud ſubinde ſuboriebatur. Hic erat admodum moleſtus, eo tempore, quo decidere incipiebat; ità ut lingua magnum inter loquendum & maſticandum perciperet nocumentum. Hoc Nobili Viro tardiſſimâ ſenectute ad meliorem vitam à ſummo vitæ arbitro evocato; in veſica ejus, corpore diſſecto, repertus eſt lapis quatuordecim unciarum pondere, in medio pervius, per quem lotium ſine impedimento profluebat, ità ut nulla eſſet calculi in veſica contenti ſuſpicio, cùm de nulla gravitate nec dolore aliquo conquereretur.

OBSERVATIO XXXIV.

Scrophulæ tactu Septimi filii introrecedentes.

MIrabiles eſſe in homine idiocraſias, & quodlibet individuum humanum complexionem habere ſibi peculiarem, atque individuis ejuſdem ſpeciei ſpecificas, & proprias ineſſe cordium formas, ſcitu perquam eſt neceſſarium; etſi neque ratio ſemper diſſimilitudinum reddi queat, neque ſemper inquirenda ſit; cùm multa in na-

turæ

turæ majeſtate abdita ſint, quorum cauſas non facilè vel rerum prudentiſſimi dixerint. Ità Plinius, locupletiſſima illa, tanquam alterum copiæ cornu, veterum autorum bibliotheca, narrat de mirabili hominum genere in Helleſponto, qui Serpentum ictus ſolo contactu levabant; unde & Ophiogenum nomine inſigniti erant. Ità & Pyrrhus Rex dextro pedis pollice ſolo tactu lienoſis medebatur, & febres fugabat, ejuſdem ſuffragio. Pari ratione vel hodie quoque Anglorum Gallorúmque ſereniſſimos Reges hoc cœleſti munere donavit Deus, bonorum omnium largitor beneficentiſſimus, ut ſcrophulas diſcutiant tactu, quæ alioquin vix ullâ medicaminum vi molliri aut curari poſſunt: quâ curandi facultate ſeptimum quoque filium, nullâ ſequioris ſexûs intermediâ, prædítum eſſe dicunt. Agrippâ teſte lib. 2. c. 3. Mirum de ſeptenario experimentum, quòd maſculus omnis ſeptimus, abſque fœmella intermedia natus, vim habeat curandi ſcrophulas ſolo tactu, vel verbo. Novi ipſe Virginem Nobilem, Gratiam, nomini pulchrè reſpondentem, generosâ Bampfiliorum proſapiâ oriundam, vigeſimo anno proximam, cui collum plurimis ſcrophulis defœdatum erat, de quibus eradicandis admodum

modum erat anxia, atque in eum finem uſa eſt operâ triduanâ ſeptimi filii, in vicinia habitantis, qui ſolâ manuum impoſitione, ſine aliis præſidiis, ſcrophulas intrò repercuſſit, ægrámque in præſens vitæ diſcrimen conjecit, donec debitis adhibitis remediis ſcrophulæ repulſæ denuo erumperent. An hoc imaginationis vi, quod nonnulli voluerunt, cujus magnam corporis alterandi & immutandi potentiam eſſe lubens agnoſco, factum ſit; an individuali aliquâ tangentis proprietate, à temperamento ortâ, aliis dijudicandum relinquo.

OBSERVATIO XXXV.

Pruritus & oculorum rubedo pertinax.

OPhthalmia alia eſt humida, alia ſicca; quæ vel cum pruritu, vel ſine eo. Hoc loco exemplum proponam illius, quæ ſine fluxione erat, ſed ſolo pruritu moleſta, & rubore indecora, quam Practici ξηροφθαλμίαν nominant; affectus ſæpe diuturnus, & ſæpe toto vitæ tempore infeſtus: Tali laboravit generoſa Dna Catharina Frampton, generoſâ Tregonwellorum proſapiâ oriunda, in pago Morton habitans, vidua admodum

melancholica,

melancholica, & ſemper querula, ut ſolent melancholici; quadragenaria, otio nimis dedita, & ſæpe longo tempore ſine causâ ſeſe intra cubilis parietes concludens. Proveniebat autem affectus hic ab humore pauco, ſed ſicco, & ſalſo atque nitroſo. Quoad curam, ut oculi curentur, curandum erat caput; ut caput, totum corpus; propterea hyemali tempore gelidiſſimo antecedentium cauſarum tam ablationem, quàm correctionem, diſtulimus in vernam tempeſtatem; quâ commodiùs adminiſtrantur cathartica, & magìs vegetæ eorum ſimplicium, tunc naturalibus virtutibus maximè turgentium, vires. Interim præſcriptâ bonâ victûs lege, in eo totus fui, ut alvus ei ſemper eſſet laxa. In eum finem juſſi, ut uteretur pilulis de Aloe Oribaſii cum ſucco caulium, de quibus ità in carminibus Macri, de virtutibus herbarum:

Illius geminas cum mulſa ſumere drachmas
Idem præcepit, cholerам ſic phlegmáque purgat:
Unaquaque die poſt cœnam ſumere dixit,
Utile tres ejus pilulas bináſve recentes
Cum ſucco caulis formatas, ut faba, groſſus
Aut cicer, humores nocuos cum ſtercore purgat,
Non corrumpendo ſtomachum, neq; vim faciendo.

Purgatus

Purgatus fuerit Pilulis qui ſæpius iſtis,
Vix unquam capitis vexabitur ille dolore;
Et nihil eſt oculis, mihi crede, ſalubrius iſtis,
Numeros memini, ſi verba tenerem.

Harum Pilularum nobiliſſima ægra aſſumpſit primò ℈ij. per octo noctes conſequentes horis duabus poſt levem cœnam; deinde quarto quoque die. Interea etiam hirudines ponè aures & ad jugulares externas applicatæ; nec omiſſa ranularum apertio, cùm grave eſſet incommodum. Sanguinem è brachiorum venis, abſente inflammatione, tum & aliis de cauſis, non detraximus. Cervici tamen plurium piſorum capax cauterium inuſtum. Ingraveſcente etiam malo, veſicatorium latum ſub fontanella fuit applicatum, non ſine inſigni commodo. Oculos verò, manè præſertim, decocto liquiritiæ tepido fovendos curavi; eóſque ſevo agnino circa renes collecto, admixto liquato olei amygdalarum dulcium recenter extracti, tantillo, deſuper inunxi. Hoc linimento delibutæ palpebræ, prurire plurimùm deſinere, ſed minimè auferri; aqua itaque oculis inſtillanda, & cum petia imponenda præſcripta. Erat ea talis: ℞ *Betonicæ, Verbenæ, Plantaginis, Trifolii communis albi & rubri,*

rubri, foliorum ſalicis, betonicæ aquaticæ, roſarum ana q. ſ. Aluminis rupei ℥ij. Deſtillentur herbæ ſine alumine, more vulgari, in aquæ deſtillatæ ℔ij. diſſolvatur Alumen, & deſtillentur in vitreis organis in cineribus, vel calce vivâ, ad ſiccitatem, & aqua carens acrimoniâ uſui reſervetur. Fungus quoque Sambucinus, aquâ modò dictâ inebriatus, nec non perſicaria maculoſa inſipida, contuſa, ſub ſomni horam tepidè ſuper oculum impoſita, & alia; ſed fruſtrà, malo iſto ad vitæ finem perſtite, etſi minùs moleſto, à prædictorum uſu.

OBSERVA-

OBSERVATIONUM MEDICINALIUM LIBER SECUNDUS.

OBSERVATIO I.

Angina exquiſita lethalis.

ANgina ab angendo, quæ vox à Græco ἄγχω, id eſt ſuffoco, ſeu ſtrangulo, derivatur, dicta; inter morbos acutiſſimos, & lethum ſæpe paucarum horularum ſpatio accelerantes numeratur. Hujus à poſterioribus Græcis, qui paulò ante Galeni ſeculum vixerunt, quatuor recenſentur ſpecies, ſeu differentiæ, συνάγχη, παρασυνάγχη, κυνάγχη, παρακυνάγχη; quarum nulla non eſt aliquando lethalis. Sed cynanche harum omnium graviſſima & periculoſiſſima eſt; utpote in qua à ſanguinis in venis jugularibus affluxu, inflammatis interioribus

laryngis & gutturis muſculis, tum reſpiratio, ſine qua Cor, vitalis facultatis domicilium, ſalvum eſſe nequit, tum & deglutitio afficitur; ſæpe etiam præcluſo gutture prorſus tollitur; nullo interim vel intus vel foris conſpicuo tumore, quod maximè ſuſpectum habetur. Et præſente quidem anginâ, in quacunque ſit parte, reſpirationis & deglutitionis difficultas imprimis adeſſe ſolet. Ac tanta ſæpe accidit dyſpnœa, ut præſens ſit ſuffocationis periculum; quòd muſculi laryngis, ſi tumeant, viam aeri per ſe præcludant, & cartilagines ad ſeſe contractas recludi non ſinant. Hinc Philolaches apud Comicum, in Moſtellaria; In anginam ego nunc me velim verti, ut veneficæ illi fauces prehendam atque enecem ſceleſtam ſtimulatricem. Sæpe tamen evenit, ut quis ſit anginoſus, qui non habeat in principio difficilem reſpirationem, & poſtmodum vix ſecundo vel tertio die in eam incidat, quod in curationibus diligenter notandum, ne neglectis principiis ſuffocetur æger. Id quod contigit Dno Richardo Bragg, Eccleſiæ Milbornenſis, ſexto Dorcheſtriâ lapide, qua itur Blandfordiam, diſtantis, Rectori; viro quadrato, habitu carnoſo, venis amplis, temperamento ſanguineo-melancholico, triginta quatuor

quatuor circiter annos nato, πολυαίμῳ, & narium hæmorrhagiis jugíque catarrhorum defluvio frequenter obnoxio. Hic cùm per hyemem quartanâ laborâſſet, quæ Verno tempore ſponte ſuâ evanuit, Autumni inſequentis initio, manè quodam ſomno expergefactus, neſcio qua occaſione, ſenſit circa laryngem & fauces dolorem & ardorem quendam, cum deglutitionis difficultate, nec non febrili diſpoſitione, ſiti ſolito majori junctâ, ſine manifeſta aliqua reſpirationis difficultate. De his me, altero die ab invaſione, certiorem fecit; meámque præſentiam rogavit. Ad quem cùm à meridie veniſſem, jam omnia graviora & in pejus lapſa deprehendi. Aderat enim febris continua & acuta, dolor circa laryngem & aſperam arteriam, ut vix contingi, quantumcunque leniter, potuerit; nihil interim introſpicienti in faucibus & collo tumoris, deglutitione omnino impeditâ,ut potus etiam,quem ob ſitim ingentem continuò deſiderabat, per nares continuò reſiliret; urgente inſuper, quæ hactenus non aderat, reſpirationis tantâ difficultate, ut ſeſe in lecto continere non potuerit, nec caput Pulvinari applicare, ſed in ſedili erectus ore hiante ſedere cogeretur, ſubſtratis mollibus pulvinis; tume-

factâ etiam & aridâ linguâ, in ſingula momenta ſuffocationem metuens. His ſeriò mecum conſideratis, divini Hippocratis oraculo admonitus, quo lethale eſſe pronunciavit, ſi febricitanti, nullo exiſtente in faucibus tumore, ſtrangulatio accidat; & præterea quoque, quòd deploratæ ſalutis ſtatuatur angina, à ſanguine melancholico originem ducens; ægri hujus rem in præcipiti eſſe, præ affectûs magnitudine & acutie, judicavi; factâ aſſidentibus de morituro ægro conjecturâ, ne eum ſolo prognoſtico reliquiſſe viderer, præſenti auxilio, cùm nullus eſſet procraſtinationi locus, ſanguinis miſſione ſuccurrendum duxi; & ſine mora accerſito Chirurgo, è cephalica dextra ſanguinis octo uncias detraho; mox & quatuor circiter effluxis horis, quòd morbus nullas daret inducias, venas quoque ſublinguales aperiendas curo. His factis, purgationem libenter in corpore cacochymo, & pravis humoribus onuſto, inſtituiſſem; ſed impediebat eam deglutitionis difficultas multo maxima, quâ tenuiſſimas etiam ſorbitiones, & quæcunque oblata per nares rejiciebat. Hujus itaque vices ſupplere conati ſumus enemate acri, ex decocti communis lib. j. parato, in quo diſſolvimus Elect. Diacathol. & Diacolocynt.

cynt. cum oleo, ſale & ovi vitello. Interim & gargariſmum præſcripſimus continuò utendum, cum aquæ ſempervivi majoris, portulacæ & plantaginis, addito dianucum & diamor. nec non lapide prunellæ. Extrà verò applicatum fuit collo cataplaſma. ℞ *Radicum althææ, liliorum alborum, malvæ ana* ℥j. *foliorum althææ, parietariæ, violar. malvæ, cardui benedict. ana* Mj. *Seminum lini & fænugr. ana* ℥ß. *ſtercoris hirundinum unciam unam. Coq. cum aqua ad mollitiem, & exquiſitè piſtentur, addendo tandem olei chamom. lilior. ana* ℥jß. *pingued. gallinæ* ℥j. *farinæ fabarum q. ſ. fiat cataplaſma.* Renibus etiam cucurbitulæ applicatæ, & frictiones partium inferiorum inſtitutæ; ſed fruſtrà omnia, & infelici hujus morbi exitu. Nam quarto die naturæ ſatisfecit, ſtrangulatione enecatus. Nempe ægris, quibus deſperata ſalus eſt, nullum neque auxilium, neque tempus eſt opportunum.

OBSERVATIO II.

Paraſynanche per reſolutionem terminata.

PEriculoſiſſima & lethalis plerumque eſt illa Anginæ ſpecies, in qua inflammatis internis gutturis muſculis, nullus in fauci-

bus neque tumor neque rubor eſt conſpicuus. At major ſalutis ſpes affulget in illa, ubi tumor & rubor oculis ſubjiciuntur; quod longævâ rerum experientiâ à Practicis obſervatum. Foras enim morbus fertur in ægri commodum. Talis erat, quæ Aquario contriſtante annum, filium meum, quem mihi Deus unicum largitus eſt, Fridericum, craſſo corporis habitu, & temperamento ſanguineo-phlegmatico præditum, ſubitò invaſit; qui aliàs quoque in Geneſi ſua ob Lunam combuſtam, ab angulo occidentis cadentem, à Saturno in piſcium ſidere ſauciatam, Ranzovii ſuffragio, ab ipſo ortu Catarrhis, in fauces defluis, fuit obnoxius; prehendebat autem ſolam cervicem, ejúſque muſculos, linguam & os hyoides contingentes, atque œſophagum firmantes & retrahentes: Aderat deglutitio læſa, ſed non ablata; cùm liquida, etſi cum dolore & difficultate, permearent, ob gulæ inflammationem, rubore quaſi eryſipelatoſo, & tumore foris conſpicuo, accedente tum amygdalarum ſeu tonſillarum, tum gurgulionis ex palato penduli, ipſiúſque linguæ tumefactione, & pituitæ per os continuâ excretione, reſpiratione parùm vel omnino non læsâ; laryngis ſcil. muſculis ſalvis, unde reſpi-

reſpirationis viæ non intercipiebantur, & præſente febriculâ quadam. Hanc ego à ſanguine pituitoſo, è venarum jugularium ramis in dictas partes effuſo, natales ortus ducere judicavi. Mox, ne malum longiùs ſerperet, injecto communi Enemate, Cephalicam dextram, quæ maximè in conſpectum veniebat, tundendam curavi; & ſanguinis octo detraxi uncias, & eodem die venas quoque ſublinguales incidendas imperavi. Interim ad affluxum repellendum & avertendum, in principio ordinavi gargariſmum ex aqua plantaginis, portulacæ, & roſarum; in quibus diſſolvebam diamoron, & diacarion, adjecto lapide prunellæ. Sed veritus, ne repellentium uſu materia intrò verteretur; alium præſcripſi magìs reſolventem, ex aqua hyſſopi, prunellæ, tuſſilaginis paratum, addito melle roſato, ſyrupo de hyſſopo & dianucum, nec non lapidis prunellæ momento. Hunc in ore ſaltem detinebat, ſine agitatione, ne gargariſando partes inflammatæ commoverentur, & fluxionem augerent. Collo verò oleis chamomillæ, amygdalarum dulcium & axungiâ Gallinæ inuncto; impoſui Emplaſtrum meliloti ſimplicis, albo græco, quod vocant, permiſtum, & oleo liliorum malaxatum. Altero mox

ab invaſione die, purgationem injunxi, ex infuſo Agarici & Electuarii lenitivi in decocto communi, addito ſyrupo roſarum ſolutivo & diaſereos: quæ operationem ſuam cum εὐφορίᾳ peregit. Pro potu utebatur Emulſione amygdalarum dulcium & ſeminum frigidorum majorum, paratâ cum decocto ſpongiarum Sambuci, quas vulgò vocant Auriculas Judæ; caricarum pinguium & radicibus althææ. Pro victu utebatur panatellâ, avenaceo, hordeaceo, & ſimilibus. His per quatuordecim dies continuatis, repetitâ etiam venæ ſectione, reſtitutus fuit ſanitati, Deo ſervatore Opt. Max. opitulante; cui ſit laus, honor & benedictio in omne ævum.

OBSERVATIO III.

Pulmones quaſi Tartaro gypſeo reſperſi.

Quemadmodum ſummus fere eſt infelicitatis gradus, & res opprobrii plena, vitam in ſterilitate ſine liberis degere; cùm ſit pudori, nuptiarum nulla habere præmia, quibus hæc ſola cauſa nubendi eſt. Ità & magna felicitatis pars eſt, domi ex fœcunda uxore dulci liberorum propagine beari;

qui

qui Tibi ſilicernio, ut Ciconiæ parentibus ſuis, ſenio enervatis, ſuſtentaculum præbeant, & ἀντιπελάργησιν, gratam beneficiorum remunerationem referant, aut alimoniæ θρεπτήρια reddant. Maximè verò, quia quodlibet individuum, ſimili quaſi procreatione repueraſcens, fit quodammodo æternum. Vivit enim pater in filio; neque moritur, qui vivam ſui relinquit imaginem. Unde non poteſt non eſſe miſerrimum, nec majus malum, quàm natis iterum orbari, & filios videre coràm pereuntes. Siquidem in pernicioſa orbitate moleſta vita degitur, & calamitates undique ſuperaffunduntur; unde Publius, Homo, inquit, toties moritur, quoties ſuos amittit. Id quod accidit generoſiſſimo Viro, D^no^ Thomæ Moore, Armigero, qui lares fixit in Pago Hawkchurch, tribus Lymâ milliaribus diſtante; cui Deus, bonorum omnium largitor beneficentiſſimus, ternam prolem largitus eſt; quos altero mox à nativitate anno, vix vitali aurâ hauſtâ, Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo, uno eodémque mortis genere jugulatos. Hi omnes in lucem editi, videbantur vegeti, vivaces, & bono corporis habitu præditi. Inſtante verò dentitionis tempore, langueſcere incipiebant. Apprehendebantur in prin-

cipio

cipio moleſtâ tuſſi, & ſpirandi difficultate, incrementum indies ſumentibus; caput paulatim in majorem molem increſcebat; membra externa flaccida & quaſi pendula apparebant; oſſium epiphyſes in carpis & talis protuberabant; in coſtarum cartilaginibus nodi conſpiciebantur; venter turgeſcebat, pectus extenuabatur, totúmque corpuſculum atrophiâ contabeſcebat; ut facilè ex his colligere potueris, eos novo & veteribus incognito morbo, quem Neoterici Rachitidem ſeu morbum ſpinalem vocant, quòd ſpina dorſi maximè in hoc morbo afficiatur, laboráſſe. His ab interitu redimendis, ſi fieri poſſet, parentes nullis parcebant ſumptibus; ſed inexorabiles erant Parcæ; ſecundo, poſt primum, & tertio poſt utroſque vitam abſcindentes. Parentes de futura prole, ſi forſan Dei dono contingeret alios habere, præſervanda, ſoliciti; ut in cauſam morbi diligentiùs inquirerent, ultimò defunctum aperiri curârunt. Quo à me diſſecto, hepar juſto majus, ut & pleraque in abdomine viſcera, non tamen malè colorata; inteſtina verò flatibus turgida, & multùm diſtenta apparebant. In thorace verò, ſterno ſurſum flexo, pulmones conſpiciebantur lividi, & exſucci; membrana verò

eos

eos ambiens admodum erat aſpera & inæqualis, innumeris protuberantiis, ſeu tuberculis, verrucis perquam ſimilibus, ubique reſperſa; quibus apertis, inveni in iis tartarum quendam gypſeum, calcis inſtar friabilem, per totam pulmonum ſubſtantiam ſparſum. In capite nihil culpabile occurrebat, niſi quòd cerebrum videbatur aquoſius. Placuit Deo Opt. Max. pluribus liberis hunc generoſiſſimum Virum poſtea ditare; qui emiſſariis impreſſis, & aliis pulmonibus dicatis præſervati, optimâ fruuntur valetudine. Quòd ſi frequentiores eſſent demortuorum diſſectiones, forſan non tanta hominum multitudo à Libitina abſorberetur.

OBSERVATIO IV.

Peripneumonia Lethalis.

GEneroſiſſimi Viri, æternâ memoriâ digni, Dni Thomæ Trenchard, Equitis aurati, famulus à pedibus, Hybernus natione, annos circiter viginti quinque numerans, proceræ ſtaturæ, temperamento bilioſo, cùm, ex officio, currendo multùm incaluiſſet, hauſto cereviſiæ forſan frigidioris poculo,

poculo, incidit in tuſſim, cum pectoris anguſtia & ſpirandi ſumma difficultate, accedente febri acutâ, cum intenſa ſiti, & malarum rubore, pulmonibus laborantibus & inflammatis familiari. Hic, ut erat Juvenis robuſtus, in principio hunc affectum periculoſiſſimum parùm curans, de vocando Medico parùm erat ſolicitus. Eo verò indies ingraveſcente, Herus, ſervi amantiſſimus, me accerſiri curavit. Ad quem ingreſſus, pulſum inveni tangendo magnum, undoſum quodammodo & languidum; conſideratíſque ſymptomatis, hominem peripneumoniâ, nonnullis etiam, à pulmone, pulmoniâ dictâ, laborare affirmavi; dato ſimul, ex Hippocrãtis oraculo, communi prognoſtico, quòd pauci eam evadant, ſed plerique eâdem apprehenſi ad plures abeant. Ne tamen quicquam eorum, quæ Medici in hoc periculoſiſſimo affectu præſcribere ſolent, omiſiſſe viderer; ſine cunctatione, cùm tertius eſſet à prima invaſione dies, baſilicæ dextræ inciſionem inſtitui, & detraxi circiter ſeptem ſanguinis uncias; cùm virium imbecillitas largiorem profuſionem non admitteret, etſi ſanguinis plenitudo adeſſe videretur. Sequenti die ad materiæ impetum à pectore avertendum, & humores vitioſos evacuandos,

evacuandos, exhibui ipſi Mannam decocto pectorali dilutam, adjecto ſyrupo roſarum ſolutivo cum agarico. Leniter indè purgatus fuit, ſed ſymptomata omnia ingraveſcebant, ut de ſalute ejus omnino deſperarem; maximè cùm ſputum non procederet, & febris excandeſceret. His ut ſubvenirem, præſcripſi Eclegma ſequens, quod ℞ *Conſervæ violarum & borraginis, mucilaginis ſeminis Pſyllii & cydoniorum cum aqua decoctionis malvæ, violariæ & lactucæ extractæ, ſingulorum unciam, Tabularum dialthææ unciam cum dimidia, emulſionis ſeminum quatuor majorum & Papaveris albi uncias duas, ſyrupi violarum & jujubini ana q. s. Miſce, fiat Eclegma.* Extrà verò pectus, unguento pectorali & reſumptivo mixtis invicem, inungendum curavi. Interim alvus, quoties opus, clyſtere emollita; & pro potu uſus eſt emulſione ſeminum quatuor majorum, & ptiſanâ ex decocto hordei & glycyrrhizæ paratâ. Cùm verò in lipothymiam creberrimè pronus eſſet & refici neceſſe haberet, uſus ſum, ex imitatione Valeriolæ, ſucco ex vervecum cordibus expreſſo, addito tantillo confectionis alkermes. Sed ſicuti exitiale ſignum eſt, ubi nunquam ullis auxiliis, ratione rectâ adminiſtratis, recreatur natura; ità

ità & in hoc ægro contigit; qui, fruſtrà adhibitis præſidiis, ſeptimo tandem die, morbi magnitudine ſuperatus, naturæ ceſſit. Hujus corpore nobiliſſimi Heri juſſu à me diſſecto, omnes in infimo ventre contentæ partes apparebant bene conſtitutæ. Pulmones verò membranæ, coſtas ſuccingenti, in utroque latere per plures fibras erant connexi, unde difficultas ſpirandi ex parte proculdubio proceſſit, forſan etiam inflammationi anſam præbuit. Subſtantia eorum erat nigricans, & ſphacelo correpta. Et hic fuit morbi exitus; ut verum ſit quod Celſus ait, Peripneumoniam ſcil. eſſe vehemens & acutum malum, quod plus periculi, quàm doloris habeat; paucíque eâ correpti evadant.

OBSERVATIO V.

Tabes ex continuis & diuturnis defluxionibus ad pectus lethalis.

PHthiſis ſive φθόη, Latinis Tabes, diminutio ſcil. & macies corporis, quæ ex ulcere fit, inter morbos curatu difficiles, imò ferè inſanabiles numeratur; maximè, ſi hæmoptoe præceſſerit, vel eam etiam comitetur.

mitetur. Sunt tamen nonnulli Phthiſi jugulati, in quibus nihil omnino cruoris toto morbi decurſu apparuit. Hujus exemplum mihi occurrit in honeſtiſſima juvencula, Sara, ſpectatiſſimi D^{ni} Humfredi Hull conjuge, D^{ni} Richardi Savage, Viri conſularis in urbe Dorcheſtrenſi, & pannicularii primarii filia, natu ſecunda, annos circiter viginti ſeptem nata, habitu corporis tenero, temperamento ſanguineo; quæ nullo ſanguinis ſputo prævio, aut morbi decurſu conſpicuo, circa Autumni tempus cœpit laborare tuſſi admodum moleſtâ, cum rejectione plurima albeſcentis & flaveſcentis materiæ, & virium debilitate, atque corporis abſumptione. In conſilium adhibitus, præter dicta mala, cùm querula eſſet de tenſione circa lienis regionem; dixi, præcipuum mali fontem mihi in cerebro eſſe videri, etſi malè forſan habeant viſcera naturalia; ejúſque frigidam humiditatem perpetuò materiam Catarrho ſubminiſtrare, in pulmones decumbenti, à quo continuò ſtillante ad perpendiculum in molle parenchyma, haud ſecus ac aſſiduo alliſu durum cavat undula ſaxum, videatur inevitabilis eſſe mollis & putredini obnoxiæ partis corruptela, à qua impendeat funeſta tabes. Promiſi tamen me omnia facturum,

factum, ut à futura ruina, ſi fieri poſſet, liberaretur; ſi modò dictis ſe audientem fore promiſerit. Præſente itaque plethorâ, ſanguinem parcâ manu è cubito detraxi; & cacochymiam, bolo ex conſerva roſarum ſolutivarum cum manna, addito Rhabarbari pulvere, deplere laboravi; ne humores affluentes catarrhum augerent, & foverent. Mox raſo capite applicavi emplaſtrum ſuſpenſorium, cerebrum inſigniter roborans, ex maſſa emplaſtri de Betonica, & contra rupturam, additis gummi Elemi, & copal, ſuccino multo, pulvere pauco caryophyllorum & nucis moſchatæ, exceptis balſamo Peruviano & liquidambar. Affigendum præterea curavi pyroticum ad ſuperiorem angulum utriuſque omoplatæ, excitando ulcera lata, plurium piſorum capacia. Intrà porrò ad dies viginti propinavi decoctum Sarſæparillæ, radicum chinæ ponderoſæ & reſinoſæ, nec non nodorum abietis. Hoc aſſumpſit manè in lecto, ſine importuna provocatione ſudoris, excipiendi tamen, ſi lenis prorumpat; repetendo hauſtum decocti horâ quartâ pomeridianâ. Victum præſcripſi ſine intenſo calore ſiccantem, ex alimentis boni ſucci, & coctu facilibus; & pro potu uſa eſt ſecundario decocto,
additâ

additâ magmati primario majori ſpecierum quantitate, cum paſſulis, jujubis, & pauca glycyrrhiza. Huic diætæ, quâ durante leviter purgata fuit Pilulis de ſuccino, ſubnectebatur uſus florum ſulphuris, addito Benſoin, Glycyrrhizâ, & Croco; quorum, in Bolum reductorum cum ſyrupo de eryſimo, uſum ad plures dies conſequentes continuavit. Uſurpavit præterea cereviſiam medicatam moderatè cephalicam, & inſigniter pectoralem, in paſtu & extra paſtum aſſumendam. His omnibus annexi fuerunt linctus, & rotulæ de farfara, atque alia complura. Sed nihil omnia profuerunt, in deterius ſemper labente morbo; accedente hecticâ, putridæ tertianæ æmulæ junctâ, pedum tumore œdematoſo, & alvi fluxu, quæ duo ſolent eſſe poſtrema hujus morbi ſymptomata; donec tandem, ſuperatâ virtute, diſcederet inter preces & ſuſpiria continua ad cœleſtis illius civitatis lucem, quam diu avidè expectavit. Hujus parentes & proavi huic malo non erant obnoxii, ſed vitam ad tardiſſimam ſenectutem protraxerunt, niſi quòd ſoror ejus in Phthiſin, à jugi catarrhorum in pectus depluvio, eſt prona. Hîc itaque non accuſandus character aliquis, ut ſic dicam, tabido parentum ſemini impreſ-

 ſus.

ſus. Forſan alterutrius Parentis ſemen vel aquoſum, vel indigeſtum, vel denique pravâ aliquâ qualitate fuit affectum; ut quæ indè ſata fuit proles, non niſi morbida & effœta vitam inire, & eam ſummo ſanitatis cum detrimento traducere potuerit. In aliis, ſimili malo affectis, uſus ſum pice liquidâ, ex Inſula Barbados, è rupe profluâ, allatâ, magno ægrorum commodo. Eſt enim hoc medicamentum in omnibus humidis & pituitoſis pulmonum affectionibus mirabile.

OBSERVATIO VI.

Phthiſis cum importuno tumore, meſenterii partem occupante.

PHthiſin inter eos morbos eſſe, qui in ſemine continentur, atque ideo hæreditarii nuncupantur, ratum eſt apud omnes practicos & in confeſſo. Quod quidem eâ ratione provenire, reverendus è Coo Senex affirmavit; quòd genitale ſemen, ab omnibus corporis partibus manans, efficit, ut ex podagricis podagrici, ex calculoſis calculoſi, ex phthiſicis phthiſici generentur; tali nimirum charactere in ſemine impreſſo, qualis in iis, unde emanat, partibus, inſitus fuerit;

fuerit; unde non mirum, ſi in Nobiliſſima Heroina Dna Bridgetta, generoſiſſimi Viri, Dni Moore, Armigeri conjuge lectiſſima, Nobiliſſimi Dni Thomæ Trenchard, Equitis aurati, filia, Matre molli, tenellâ ac corruptioni paratâ pulmonum ſubſtantiâ præditâ, nata, ſimilis affectus, atque in parente, pronatus ſit; quo etiam nonnullæ ſorores ejus è medio ſublatæ fuerunt. Hæc temperamento calido & ſicco, tenui admodum & gracili corporis habitu, & ad tabem prono, in quo tamen latebat anima fortis, imminentium periculorum contemptrix, & licèt exſuccum impleret domicilium, ſuſcipiendæ prolis admodum cupida, circa Caniculæ ortum conquerebatur de partium naturalium obſtructionibus, & importuno tumore, magnam meſenterii partem occupante; accedente inſuper tuſſi, à Catarrho obortâ, admodum gravi & moleſtâ; quæ conſumptis ſemper debet eſſe formidabilis, & eorum complurimis ſolet eſſe exitialis. Habito itaque reſpectu cùm præſentis, tum inſtantis fervidioris anni conſtitutionis, primò urgentiori, nempe tuſſi, ejúſque autori Catarrho conſulendum judicavimus, ſyrupo pectorali ex profeſſo præparato cum ſucco carnium, cancris, limacibus, animalium pul-

monibus, paſſulis, jujubis, ſeminibus melonum, cucurbitæ, malvæ, & bombacis, in hydromelite dilutiſſimo coctis; decoctione poſtea per colum actâ, cum albumine ovi depuratâ, & additâ ſufficiente quantitate ſacchari cryſtallini & penidiorum recentium in ſyrupum reductâ; ex quo Julapia cum aqua pectorali reſumptiva, nec non Eclegmata fuerunt concinnata. Aqua verò pectoralis ſic erat parata: ℞ *Cochlearum à teſt. mundatarum, & in aqua hordei coctarum, libram unam, carnis caponis elixæ libram dimidiam, conſervæ violarum, bugloſſæ, anthos, ana uncias duas, conſervæ radicum conſolidæ uncias tres, ſpecierum Diarrhodon Abbatis unciam dimidiam; lactis vaccini libras octo; miſta deſtillentur ex organis vitreis.* Sed quoniam urgerent continuò macies, & tumor ille ventris, qui magnam ductuum meſaraicorum partem obſidebat; indeſinenter in iſtis emendandis opera erat navanda. In eum finem, ſtadium chalybeatum percurrit, ſuperbibendo hauſtum lactis aſinini; nullâ habitâ temporis ratione; quod ipſi dabatur, non electionis, ſed neceſſitatis gratiâ. Metus enim erat, ne dum molliter nimis vel ægræ vel adſtantium accederemus dubitationi, & ſententiæ; fundamenti experti negligentiæ

tiæ pœnas luat ægra, cum proprio diſpendio, & artis dedecore. Chalybs autem hoc modo exhibebatur ad plures ſeptimanas: ℞ *Animæ hepatis ſive cryſtalli Martis, ritè juxta Riverium parati, grana quinque, oculorum cancri præparatorum, Magiſterii Corallorum & Perlarum ana grana ſex, ſacchari roſati tabellati, ſive Manûs Chriſti ℥ß. Omnia ſubtiliſſimè pulveriſata excipiantur mucagine gummi tragacanthi cum aqua roſarum fragrantiſſima factâ, & fiat bolus, deglutiendus ſummo manè in lecto, ſuperhauſto lacte aſinino; ex ubere calente, dulcorato cum eodem ſaccharo.* Quantitas lactis erat unciarum ſex primò, poſtea octo ad ſummum; ſuperdormiendo, nec quicquam alimenti ſumendo ante elapſas horas quatuor. His per ſex dies continuatis, aucta fuit doſis cryſtalli Martialis ad grana octo, cum levi deambulatione, quantum quidem huic motui par erat ægra; providendo interim, ut alvus mediocriter aperta eſſet; quam effœtis morbo viribus nimis fluidam eſſe, periculoſum eſt. Catharticis etiam mediocribus frequenter exhibitis ægram ſollicitare abſtinuimus; caſſiam ſolùm immediatè ante prandium ſumptam, ídque raro, conceſſimus. Si quando noctu provocandus erat ſomnus, ſedanda tuſſis, &

incraſſanda fluxio; diacodium ſufficiebat; interdiu verò, Rotulis ſeu tabellis uſa eſt, ex pulpa radicis althææ, tinctura glycyrrhizæ Hiſpanicæ cum aqua tuſſilaginis extracta, exceptis ſaccharo cryſtallino, & ligatis mucilagine gummi tragacanthæ ſatìs liquidâ in aqua roſarum fragrantiſſima extractâ: His omnibus ſubnectebatur balneum tepidulum, ex aqua & lacte cum ſimplicibus refrigerantibus & emollientibus, multíſque roſis, alternis diebus, dum Sirius flagrabat æſtu, ingrediendum. His per plures ſeptimanas continuatis, reſtaurari videbatur valetudo, & tumor plurimùm imminui, non ſine ingenti ægræ ſpe & gaudio. Sed breve fuit iſtius gaudii momentum, omníſque ſpes retrò ſublapſa, hæmoptoe formidabili obortâ, ſanguine è pulmonibus profluente, qui in corpore exſucco, & jam diu languente, copiosè rejectus, utplurimum minatur exitium. Huic malo, vocatus, ſine mora ſeriò occurrendum duxi, ne emaciatum corpuſculum ulceri ſuccedens tabes nobis eriperet. Mox igitur inſtitutâ Phlebotomiâ detractæ fuerunt ex mediana ſiniſtra ſanguinis tres unciæ, cùm plurium impares eſſent ægræ vires. Interim ſyrupo in principio præſcripto adjiciendam curavi

multam

multam plantaginem, urticam rubram, & ſymphytum majus, cum aqua hederæ terreſtris, & portulacæ. Ad præhumidos porrò pulmones, & ſanguinis expuitiones, præter modò dictum ſyrupum, inſtituit lapidis hæmatitidis uſum, juxta Trallianum. Lac quoque cum ſaccharo roſato, additis Perlis, corallo rubro, & oculis cancri, nec non eodem lapide hæmatite, more vulgari ſolùm præparatis, aſſumpſit manè, conſueto more, omiſſis cryſtallis martialibus. Ad ſomnum conciliandum exhibebatur ſyrupus de Papavere; nec non, urgente cum primis tuſſi, Pilulæ non vulgares de ſtyrace. Semel atque iterum urgente tenui fluxione & hæmoptoe, aſſumpſit horâ ſomni hordeatum cum drachma una aluminis, addito ſaccharo roſato. Nec omiſſum fuit Emplaſtrum cephalicum, capiti raſo applicatum; & fonticuli prætérea ſcapulis affixi. Imperata tandem quies animi & corporis, & diæta præſcripta, quæ ſine calore, febrilem aliàs invectura, moderatè ſiccaret colluviem ſeroſam in hepate ſanguini permiſtam, & ex venoſo genere in concava corporis, thoracis præſertim, exundantem. His ſuppreſſa quidem fuit hæmoptoe, ſed omnia in pejus ruebant, tuſſis ingraveſcebat, macies tanta, ut vix trama

figuræ reliqua eſſet, urgente etiam febri, ità ut appareret luctûs ubique pavor, & plurima mortis imago. Tandem graviſſimâ orthopnœâ correpta, ità ut nullo modo decumbere, ſed erectâ cervice ſpirare, feneſtris cubiculi apertis, cogeretur; ex hac turba & colluvione, in ipſo juventutis flore, in cœleſtem patriam à Deo conditore maximo & ſummo vitæ arbitro evocata, animam efflavit. Omnium verſatur urna, nec mors nobilibus parcit poplitibus. Hujus ab obitu corpus libenter aperuiſſem, ſed impetrare non potui.

OBSERVATIO VII.

Phthoe vel Phthiſis à multis annis.

Etſi Phthiſis, ἀπὸ τοῦ φθίνειν, id eſt extenuando dicta; curatu ſit difficillima, imò omnem plerumque medicam manum variis de cauſis reſpuat & penitus illudat; attamen diuturnum ſæpe eſt malum & quod in multos interdum protrahitur annos, antequam vitæ filum abſcindat, id quod Gentilis ulceris exilitati ſeu parvitati acceptum refert, unde cruſtam facilè ſeu callum contrahit, qui quidem citiùs vel tardiùs, pro data

data cauſa, denuo decidens, malum, quod ſanatum videbatur, renovat, donec adminiſtratis ex artis lege remediis cruſta denuo obducatur. Exemplo nobis ſit Reverendus D^nus^ Hieronymus Turner, Nobiliſſimo Viro D^no^ Thomæ Trenchard, Equiti aurato meritiſſimo, à ſacris domeſticis, poſtea verò Eccleſiæ Netherburianæ Paſtor vigilantiſſimus, doctrinâ & pietate inſignis, macilentus admodum & rariſſimæ texturæ, à patre, phthiſi enecato, φθινώδης & in tabem pronus, vitioſa ex ſemine ejus pulmonum ſubſtantia, non verò ab intemperie aliqua dependente, contracta, unde tabeſcere ſolet ſoboles ſæpe omnis vel ſaltem major ſtirpis pars, ut ſcitè admodum cecinerit Mantuanus;

Qui viret in foliis venit à radicibus humor;
Sic patrum in natos abeunt cum ſemine morbi:

Hic vix primo cœli ſpiritu hauſto correptus fuit tuſſi moleſtiſſimâ cum expuitione pituitæ viſcidioris, matutino præſertim tempore, quam poſtea foverunt ſtudia improba & nocturnæ imprimis lucubrationes, ſemper intempeſtivæ, unde in temperamento calido & aliquatenus ſicco, quali præditus

erat, fervidior viſcerum naturalium intemperies copioſam fecit ad cerebrum anathymiaſin, aqua cerebrum plus æquo excalefactum humores in eo contentos fudit & extenuavit, pluréſque vapores à ſubjectis partibus attraxit, quàm concoquere aut per halitum diſſipare poterat, unde deſtillationes obortæ, quæ per ſe Phthiſi generandæ potuerunt ſatìs eſſe in hoc Viro, qui à primo ortu ſeminis genitalis parentis vitio nactus erat molles, teneros & ad corruptionem propenſos Pulmones, qui poſtea ſenſim ætatis decurſu magìs magíſque flacceſcebant & corrumpebantur. Huic tuſſi curandæ vel ſaltem mitigandæ meam imploravit operam, cùm forſan ad Nobiliſſimum Patronum ejus vocatus eſſem, quam ipſi denegáſſe piaculum fuiſſet, ipsúmque purgavi Mannâ & ſyrupo de Cichoreo cum Rhabarbaro, decocto pectorali dilutis. Raſo capite applicavi Emplaſtrum cephalicum, ex emplaſtro Cæſaris & de Betonica, additis gummi elemi, Tacamahacâ, carannâ & multo ſuccini pulvere. In brachio ſiniſtro & femoris dextri parte domeſtica, tribus ſupra genu tranſverſis digitis, fonticulos excitavi. Intrà verò ſuaſi Electuarium

℞ *Radicum Tuſſilaginis recentium minutiſſimè inciſarum*

inciſarum & contuſarum ℔j. *coquantur in* ℔v. *aq. fontanæ ad medietatis conſumptionem. Aquâ per inclinationem ſeparatâ radices cum* ℨiiij. *amygdalarum dulcium excorticatarum ad pulpam contuſæ trajiciantur per ſetaceum. Dehinc recipe mellis optimi uncias quatuor, addendo ſufficientem quantitatem decocti ſuperioris radicum tuſſilaginis, & deſpumando coquantur ad juſtam conſiſtentiam, miſceantúrque cum amygdalis & radicibus contuſis, & fiat Electuarium*, de quo aſſumpſit manè & veſperi cochlear unum, ſuperbibendo hauſtum ſequentis decocti, ℞ *foliorum Tuſſilaginis Miij. Radicum ejuſdem* ℥ſs. *Herbarum ſcabioſæ Mij. veronicæ p. j. ſeminum aniſi, fœniculi dulcis ana* ℥ij. *Inciſis & contuſis contundendis fiat omnium decoctio in aquæ fontis* ℔x. *ad tertiæ partis conſumptionem, addendo ſub finem radicum liquiritiæ* ℥vi. *Mellis tantundem, bulliant adhuc parum & colentur.* Utatur ut dictum. Præſcripſi etiam debitam victûs rationem, cujus minutias recenſere nimis longum foret. His & ſimilibus videbatur multùm alleviatus, ut in circulum redeuntia vocationis munia alacriter ſubiret, donec elapſo anni ſpatio ex nimia, ut referebat, in concionando vocis intentione, annum agens vigeſimum ſextum, ſubitò incideret in formidabilem

midabilem hæmoptoen, quæ quidem undecunque veniat, aut à quavis cauſa oriatur, ſemper eſt contra naturæ leges & periculi plena. Erat autem ſanguis tenuis, fervidus, floridus atque ſpumoſus, confertim ſine difficultate & dolore, tuſſi non admodum violentâ excretus, atque à pulmone profluus, ſi Hippocrati, ſolertiſſimo artis Medicæ conditori, fides habenda, dum inquit, Quicunque ſpumoſum ſanguinem expuunt, his è pulmonibus eductio fit. Quem locum Galenus, fidus Hippocratis interpres, enarrans, ſanguinis ſpumoſi expuitione carnoſam pulmonum ſubſtantiam ulcere affectam eſſe indicare ait. Ad hunc Virum vocatus, cùm de ſingulis interrogâſſem, à Damaſceno admonitus, qui ſuadet, de ægritudinibus non facilè proferendum eſſe judicium, niſi poſtquam ægrum videris & de ſingulis eum interrogaveris, ſanguinem, vitæ theſaurum & nativi caloris fomitem, affatim rejectum, è pulmonibus emanare dixi, ídque per anaſtomaſin vaſorum, tum ob venarum raritatem, ut erat reliquo corpore tenero admodum & raro, tum etiam ob nativam quandam ad rupturam pronitatem & vitium ſimile à patris ſemine in illum illatum, adjuvante etiam concionandi labore ſolito majore

jore, à quo ſanguis in pulmonibus agitatus & excalefactus, ut acrimoniâ quadam ab effervefcentia & ebullitione contractâ, huic malo anſam præbuerit. Nè igitur cruentum adhuc vulnus phlegmonem excitaret, celeri manu ſuccurrendum judicavi; & ſine mora injecto leni & emolliente enemate, curam auſpicatus ſum ſanguinis ex mediana dextra ad tres uncias detractione, quam ſequenti die pleniorem inſtitui ex ſaphena, majoris revulſionis gratiâ. Interim oxycrato dilutiore os colluere jubeo & ejus portiunculam ſacchari tantillo dulcoratam ad diſſolvendos ſanguinis grumos, plurimùm, ſi relinquantur, nocituros, abſorbendam propino, præſcripto ſimul Electuario quod ℞ *Conſervæ roſarum rubrarum & ſymphyti ana ℥j. pulveris Electuarii Helidæi ad hæmoptoſin ʒij. Syrupi myrtini & de ſucco portulacæ ana q. ſ. Miſce, fiat Electuarium juglandis quantitate manè & ſerò devorandum,* ſuperbibendo hauſtum ſequentis Julapii. ℞ *aquæ portulacæ* ℔ß. *aq. radicum urticæ & plantaginis ana ℥iiij. ſyrupi è ſucco portulacæ ℥ij. è roſis ſiccis & papavere rhead. ana ℥j. ſpiritûs vitrioli ℈j. miſce, fiat Julap.* Interim & pectus inungendum curavi oleo myrtino, roſaceo & violarum. Pro potu

verò

verò exhibui decoctum plantaginis, ſymphyti, adjectis lapide hæmatitis ʒj. gummi Arabici & tragacanthi ana ʒß. & glycyrrhizæ raſæ ℥ß. in aqua hordei, dulcoratum ſaccharo candi, & in cibo uſus eſt amylo cum emulſione amygdalarum cocto, adjecto ſaccharo & aquâ roſaceâ. His intra triduum reſtricta fuit, fauſto Apollinis numine, ſanguinis rejectio. Cùm itaque alvus adſtricta eſſet, bilioſi quoque in corpore abundarent humores, ad eos evacuandos leniſſimam ordinavi purgationem, ex ptiſana laxativa cum ſena, tamarindis & caſſia conflatam, addito ſyrupo roſarum & Rhabarbari pulvere, qua quinquies alvum depoſuit cum εὐφορίᾳ. Hinc urgente totius macie ſuaſi ad procurandam analipſin lactis aſinini hauſtum, quod ex ubere calens ſaccharo roſato cum corallis, lapide hæmatite & lapillis cancrorum medicato, dulcoratum per plures ſeptimanas bibit: cujus uſu multùm fuit adjuvatus, adeò ut verno ſemper tempore eodem impoſterum uteretur. Abſoluto lacte maximo ſuo commodo uſus eſt balſamo Indico, manè & veſperi cum ſyrupo de ſcabioſa aſſumpto, cui adjunxit intermedio tempore rotulas diatragacanthi frigidi ad tuſſim leniendam. Imprimis verò aquâ

aquâ ſeu decocto ſequenti huic malo præveniendo litavit ℞ *rad. chinæ in taleolas ſect.* ℥ij. *Hordei excort. mundi* ℥j. *liquirit. raſ.* ℥ij. *cochlear. in aq. bugloſſ. ſuffocat. n°. xx. teſtar. cancror. præparat. corall. rubr. ana* ℥j. *ſanicul. millefol. ana p. iij. Herbar. capillor. Veneris, pulmonar. violar. Tuſſilag. ana* Mß. *ſemin. cichor. cucurb. melonum ana* ℥ß. *paſſular. major. & minor. ana* ℥iiij. *Mellis opt.* ℥viij. *vini albi* ℔j. *aq. bugloſſ. violar. roſar. rubr. ana* ℔ß. *Aq. Tuſſilag.* ℔j. *communis* ℔vj. *ſacchari candi* ℥iiij. *Infuſa horis* 24. *bulliant ad* 3. *p. c. cum colatura*, cujus aſſumpſit ℥vj. manè & quartâ pomeridianâ per 60 dies. His per plures annos uſurpatis non tantùm vocationi ſine interruptione vacavit, ſed & matrimonio contracto liberos genuit, à tuſſi tamen nunquam immunis, donec elapſis circiter octo annis in hæmoptoen recidivam pateretur, quæ iiſdem ferè remediis, queis ſuprà, fuit ſuppreſſa. Supervixit ferè annos quatuor, continuò pituitæ & purulenti quid exſcreans & adeò conſumptus, ut caro vix oſſibus hæreret, præſervatis lactis aſinini uſu & nonnullis aliis remediis ex ſuprà enarratis, ſed naturâ tandem magnitudine morbi & diuturnitate evictâ, inſtanti parcæ manus dedit, quæ eundem in omnibus habet modum, finire vitam.

OB.

OBSERVATIO VIII.

Hæmoptoſis ſeu ſanguinis per os rejectio lethalis.

Αἱμοπτόης, quam Latini ſanguinis ab ore rejectionem, vel etiam ſanguinis ſputum vocare ſolent, multiplex eſt, pro cauſarum, & partis affectæ varietate, differentia. A quacunque autem cauſa profluat, ſemper vitæ inſidias ſtruit, & periculi plena eſt. Cujus rei teſtis eſt locupletiſſimus, venerandus è Coo ſenex, dum ait, Sanguinem ſuprà quidem, id eſt, per os efferri, qualiſcunque ſit, ſive ſpumoſus, ut Galenus interpretatur, ſive ruber, ſive flavus, ſive niger, ſive aquoſus, craſsúſve, malum. Impræſentiarum exemplum ſubjiciam illius ſanguinis per os rejectionis, quæ læſo quodam in pulmonibus vaſe contigit, cum vitæ naufragio, in juvene ornatiſſimo, Joſepho Blake, Dorcheſtriæ, honeſto quidem genere, ſed tabidâ ſtirpe ſato; utpote cujus Mater, Avunculus; Matertera, Soror, & ejuſdem familiæ alii, omnes phthiſi perierunt. Erat autem tenero & raro admodum corporis habitu, temperamento calido & humido, catarrho-

catarrhorum jugi depluvio ab ipſis incunabulis obnoxius, & ad hæmorrhagiam narium, atque faciei phlogoſin pronus. Hic in alma Cantabrigienſium Academia ſtudiis operam navans, ſive phthiſicâ diſpoſitione, ex parentum genitali ſemine in filium hæreditario quodam jure propagatâ, ſive aeris iſtius loci humiditate, ſive erroribus in victûs ratione commiſſis, vini præſertim liberaliori potu, cujus dulcedine capiebatur, etſi plus æquo nunquam biberet; oborto circa hyemis finem gravi Catarrho, incidit in tuſſim valdè moleſtam, annum agens ætatis ſuæ vigeſimum ſecundum; quæ ſi frequens ſit, Avicennæ ſuffragio, & diuturna, plerumque ad hæmoptoen perducit; eáque indies ingraveſcente, Medicorum, quorum operâ uſus eſt, conſilio, cœlum ſolúmque mutando, in patriam dulciſſimam revertitur; & exiguo à reditu effluxo temporis ſpatio, tuſſi violentâ apprehenſus, eructat ſanguinem ſpumoſum, floridum & ferventem admodum, ídque affatim & ſine dolore. Ad hunc accerſitus, formidandam hanc ſanguinis rejectionem ex eroſione incœpiſſe, mox autem ob ſanguinis copiam & tuſſis violentiam ruptam fuiſſe venam vel arteriam aliquam judicavi. Etſi verò morbi hæreditarii

vix medicam manum admittant, attamen nihil antiquius habui, quàm ut celerrimè morbo mederer, antequam Phlegmonem excitaret vaſis ruptio; in hoc præſertim juvene, in quo pulmonum vaſa erant mollia & tenera, proinde imbecillia. Itaque, ſine procraſtinatione, ad ſiſtendum non ſolùm ſanguinem, & vas apertum claudendum; ſed & ad deplendam Plethoram, hepaticam dextram aperiendam curavi, detractis ſex unciis ſanguinis, reiterando idem præſidium ſequenti mox die, ſed minori quantitate. Interim præſcriptum fuit Julapium ex aqua portulacæ, polygoni, & radicum urticæ; addito ſyrupo de ſucco portulacæ, è roſis ſiccis, & papavere rhæad. nec non guttulis aliquot ſpiritûs vitrioli. Hujus Julapii uncias quatuor propinavi immediatè ab adminiſtrata venæ ſectione. Manè verò & quartâ pomeridianâ, aſſumpſit quantitatem juglandis ſequentis Electuarii, ℞ *pulveris Pimpinellæ ſanguiſorbæ* ℥ij. *ſucci ophiogloſſi* ℥iij. *ſacchari* ℥iiij. *Miſce, fiat Electuarium*, quo devorato, ſuperbibit julapii præcedentis hauſtum. Somni verò horâ, exhibui Diacodii unciam dimidiam, interdum etiam pilulas de cynogloſſa. Ad tuſſim leniendam, præter Lohoch de portulaca, uſus

uſus eſt rotulis diatragacanthi frigidi, cum emulſione ſeminis Papaveris albi paratis. Bregmati applicavit Emplaſtrum ſuſpenſorium; utrique humero emiſſarium affixum. Pro potu bibit ſequentem aquam, ℞ *Hordei parùm torrefacti & paſſularum cum arillis ana Mj. Coquantur in ſ.q. aquæ leviter chalybeatæ ad ℔iiij. addendo ſub finem conſervæ roſarum veteris ℥iij. Conſervæ florum ſymphyti ℥j. poſt levem ebullitionem colentur, & aromatiſentur Cinamomi ℈ij.* His & paucis aliis ex artis lege adminiſtratis, Deo auſpice ſuppreſſa eſt ſanguinis rejectio. Ne igitur recidivam pateretur, acrium & bilioſorum humorum evacuationem inſtitui cum infuſo Rhei & ſantalo citrino in decocto tamarindorum & plantaginis, addito ſyrupo roſarum; ſanguini verò temperando, & humectando gracili corporis habitui, ſuaſi uſum lactis aſinini cum ſaccharo roſato per ſex vel plures ſeptimanas cum debitis cautelis continuandum, & Autumni tempore repetendum. Ad tuſſim verò leniendam, præter trochiſcos de althæa, mihi familiares, uſus eſt balſamo Indico ex ſyrupo de ſucco hederæ terreſtris parato. Quibus per hyemem ad Februarium uſque continuatis meliuſculè habere viſus eſt, quo tempore

rupto iterum vaſe, copioſiſſimâ ſanguinis rejectatione, ſubitò, quaſi oculi nictu ſuffocatus, animam efflavit. Neglexerat Autumno præcedente, quam injunxeram, Phlebotomiam. Hinc proculdubio huic juveni, vaſorum pulmonis repletione onerato, accidit, ut tuſſi & catarrho à capite depluo, ruptâ in pulmonibus arteriâ, ob continuum Pulmonis motum, ſanguis ità repentè & confertim in Pulmonis cavitatem defluxerit, ut ſubitò ſuffocatus fuerit, ut verè dixerit Poeta,

Cernis ut è molli ſanguis pulmone remiſſus,
Ad Stygias certâ tramite ducit aquas.

OBSERVATIO IX.

Sanguinis rejectio curata.

JOhannes Yeats Aromatarius & Civis Dorcheſtrenſis, cœlibem vitam agens, temperamento calido & humido, habitu mediocri, anno ætatis ſuæ viceſimo, ſubitò ſanguinem purum cum tuſſi per aliquot dies profusè effudit, cum magna virium imbecillitate, catarrho ſimul affectus. Hic cùm ab aliis audiviſſet, venam in pulmonibus ruptam

ptam ſequi ſolere phthiſin, plurimum ſibi metuebat, méque obnixè rogabat, ut quâ poſſem operâ meâ ſibi ſubvenirem. Sectâ itaque medianâ dextrâ, & purgato corpore, atque ſanguinem ſiſtentibus adminiſtratis, & aliis; ceſſavit per aliquot ſeptimanas ejuſdem rejectatio; quâ poſtea revertente, ſectâ iterum venâ, exhibui ei, à ſcrupulo ad dimidiam drachmam, balſamum Tolutanum per plures ſeptimanas, omni manè, ex ſyrupo de ſymphyto. Huic adjunxit aquam calcis vivæ herbis ſymphyti, polygoni, urticæ, & ſimilibus medicatam; nec hactenus in idem malum recidivus, vitam pancraticè degit, & rerum ſuarum ſatagit.

OBSERVATIO X.

Sanguinis profuſio ex ore, naribus, utero, & cum lotio.

SUnt morborum quidam, qui, ob novitatem & inſolitos mores, in omnium animis admirationem, imò & obſtupefactionem movent; cujuſmodi fuit is, qui non ſine magno terrore apprehendit Annam, nobili & antiquâ Thornhullorum Proſapiâ oriundam, atque omni virtutum decore ornatam,

Reverendi Viri, D^ni^ Petri Ince, verbi Divini Miniſtri fideliſſimi, conjugem lectiſſimam, triginta circiter annos natam, ſtaturâ mediocri & bono corporis habitu præditam, in ſterilitate vitam tranſigentem, temperamento ſanguineo-melancholico, in hypochondriacam affectionem pronam. Hæc, Veris ad nos internunciis revolantibus hirundinibus, nullo prævio morbo, ſubitò ſanguinem affatim expuit, tenuem & aliquantulùm ſpumoſum, ſed ſine tuſſi & dolore, ſpirandi ſolùm difficultate concurrente. Interim cùm hæc pulmonum affectorum eſſent indicia, ſanguinem etiam per nares & uterum, nec non cum urina copioſè profudit; accedente inſuper febriculâ quadam, & vigiliis, cum virium imbecillitate; & in Lipothymiam continuâ ferè pronitate; urinâ exiſtente coloratiore. Hæc ſanguinis eruptio domeſticis quibuſdam remediis ſiſti videbatur; eâdem tamen duorum vel trium dierum intervallo recurrente, ægra tandem me, ad decem milliaria diſtantem, ad ſe vocari curavit. Examinatis igitur omnibus circumſtantiis, hanc ſanguinis profuſionem à maſſa ſanguinea attenuata, viſcerum naturalium intemperie, & bilioſâ acrimoniâ, ex aduſtione imprægnatâ, auctâ ſimul etiam

copiâ

copiâ ejus, natales ortus ſuos derivare pronunciavi; unde facultas irritata, apertis venarum oſculis, ſanguinem tum quantitate, tum qualitate peccantem, quà data porta profundit; ægrámque bono animo eſſe juſſi, quòd hæc ſanguinis ex pluribus partibus profuſio, bidui vel tridui ſpatio recurrens, nihil mali, aut quod lethum accelleret, ominari videatur. Protinus itaque alvo clyſtere elotâ, tusâ hepaticâ, ſanguinis ſex uncias detraho, cùm effœtæ morbo vires majorem profuſionem minimè ferrent; extremis etiam vincula injicio, & alia. Intrò verò, ſuccum urticæ cum aqua Centinodiæ, ſyrupo de ſucco portulacæ dulcorata, addito ſpiritu vitrioli, qui aciditate ſuâ, ſeu fermentativâ, ſeu præcipitativâ, non ſolùm æſtum humorum prohibet, ſed & omnem hæmorrhagiam ſiſtit, pleno poculo ter in die propino. Mox altero die ad acrium & bilioſorum humorum evacuationem ſequentem portiunculam exhibeo. ℞ *foliorum Plantaginis Mj. tamarindorum* ℥ß. *coquantur in aqua communi ad* ℥vj. *in Colatura infund. Rhabarbari electi* ℈iiij. *Santali citrini* ℈ß. *mirobalanorum citrinorum* ʒß. *in expreſſione diſſolv. Mannæ electæ* ℥j. *ſyrupi è roſis ſiccis* ℥ß. *fiat potio*; quâ cum εὐφορίᾳ opera-

operationem ſuam perficiente; ad ſanguinem contemperandum, præſcripſi Apozema ex cichoraceis, diaborraginatis, plantagine, urtica, polygono & ſimilibus, addito ſucco pomorum, conflatum; quo ſanguinis effuſio remittebat; ſed, effluxis quatuor diebus, denuo erupit; cui compeſcendo ordinavi ſyrupum ſive Julapium de portulaca ſequens, quo aſſumpto ſanguis in totum cohibitus eſt, nec impoſterum claſſicum cecinit. ℞ *portulacæ Mjß. Tuſſilaginis, capillorum Veneris, & Scariolæ ana Mj. Rad. taraxaci ℥iij. Cichorei ℥ij. ſeminum portulacæ, papaveris, lactucæ ana ℈v. florum nymphææ, borraginis & violarum ana Mj. Decoq. in diplomate, cum aq. Endiviæ, ungulæ caballinæ ana ℔j. portulacæ ℔ß. trinâ ebullitione, & poſt horam colatis permiſce ſyrupi de nymphæa, glycyrrhiza, & portulaca ana ℥jß. Ms.* Tandem, pro reſumptivo, bibit lac aſininum cum ſaccharo roſaceo; & ſic, divino adjuvante Numine, convaluit. Deo ſit laus & gloria.

OBSER-

OBSERVATIO XI.

Suppuratio ſeu vomica totius Pulmonis.

PUlmonem exulcerari, novum non eſt, inquit doctiſſimus Foreſtus; ſed totam ejus ſubſtantiam in pus converti, & nihil aliud quàm pus eſſe, & ſolâ membranâ, pulmonem ſuccingente, contineri, ut in cavitatem ea minimè rupta defluxerit, id rarum eſſe exiſtimo. Idem tamen mihi, præter exemplum à Foreſto propoſitum, in praxi mea obviàm factum, in Nobiliſſimo juvene D^no^ Johanne Bampfield Devonienſi, Nobiliſſimi Viri Copleſtonii Bampfield, Equitis aurati, fratre, viginti duos annos egreſſo, procerâ ſtaturâ, gracili corporis habitu, temperamento ſanguineo, Nobiliſſimâ Matre, Phthiſi jugulatâ, ſato. Hic, ex erroribus in victu commiſſis, imprimis verò violentis exercitiis, & nocturnis comeſſationibus, à gravi catarrho, neglectim habito, incidit in violentam & diuturnam tuſſim, noctu maximè affligentem, cum ſputo rotundo, poſtea etiam virulento, ex albo vireſcente; ſubſequente ſanguinis ſputo copioſo, cum ano-

rexia,

rexia, & febri continua lenta, putrida, circa veſperam excandeſcente; accedente totius corporis extenuatione, atque carnium omnimodâ conſumptione, ut nihil niſi oſſa pelle obducta reſtarent. In hoc curando, varia mecum alii quoque Medici remediorum ſupellectile pugnavimus; ſed fruſtrà & ſine ſucceſſu, omnibus in pejus ruentibus. Scilicet ægris quibus deſperata ſalus eſt, ut Galenus ait, nullum neque auxilium neque tempus eſt opportunum. Siquidem extremis, & pedibus calore langueſcente tumentibus, ſuperveniente etiam diarrhæâ, miſer hic juvenis rebus humanis exemptus, morte præmaturâ magnum ſui deſiderium omnibus, & propinquis dolorem omnino reliquit maximum. Aperto poſt mortem corpore, viſi ſunt pulmones non tantùm cum membrana, coſtas ſuccingente, ſed & ipſi pericardio undique adnati, & toti ſuppurati, manente intra tunicam ipſius pulmonis pure, ad ipſam uſque mortis horam; quâ pelliculâ perruptâ, magna puris copia effluere incipiebat, adeò quidem olidi & fœtentis, ut vix in conclavi, in quo ſectio inſtituta, utut ſuffitibus factis, permanere potuerimus. De cætero nihil notatu dignum invenimus; Atque hic fuit hujus Nobilis juvenis infelix exitus.

OB-

OBSERVATIO XII.

In quartana, ab aſſumpto opiato Orthonopnæa letbalis.

MUlti, proh dolor! Pſeudomedici & Agyrtæ hoc ævo in Medicinam gregatim irrepſerunt, qui, neglectâ morborum per cauſas naturales cognitione, & dignotione, ſola experimenta, à delira aliqua anu, aut pſeudochymico, bonorum ſuorum decoctore, tradita, ſcrutantur. Videas hujus farinæ homines oppidatim & per pagos oberrantes, unam omnium morborum medelam, veluti Panaceam venundantes, & inerti ac credulo vulgo obtrudentes. Hi, ut imperiti σκυτοτόμοι calceolarii, uno calopodio omnium pedes veſtiunt; uno indiſcriminatim præſidio morbos quoſlibet ſe curare poſſe profitentes. Dixeris, hos in hoc regno lugubri & funeſto, infinitorum mortalium fato Libitinam potiùs, quàm Medicinam Exercere. Poſſem in medium proferre complura exempla eorum, qui ab his Reipublicæ perniciebus, rei Medicæ calamitatibus, & Libitinæ præſidibus jugulati animam expirârunt. Unicum ſaltem è centum addux-

iſſe ſufficiat. Spectabilis Vir, D^nus^ Johannes Hayſome, tributi Regii in Portu Waymouthiano collector, ætatis quadrageſimum quartum annum egreſſus, pleno corporis habitu, & temperamento ſanguineo-melancholico præditus, & ſcorbuticâ labe inquinatus, autumnali tempore, quo plerumque, ut Horatius ait, Mala febrium Terris incumbit cohors, incidit in quartanam ſimplicem, biduo ſanitatis medio intervallatam. Hunc fortè obviàm factum curandum ſuſcipit circumforaneus quidam, nullâ re niſi Medicarum ignorantiâ inſignis, certâ curationis ſpe factâ, ut ſolent iſtiuſmodi impoſtores, ægrorum expilatores; eíque nullâ præviâ corporis evacuatione, per plures dies devorandas præbet pilulas ex opio, helleboro nigro, ſale tartari, ſpiritu Terebinthinæ, ni fallor, & ſimilibus, compoſitas; quæ neſcio cui Pſeudochymiſtæ Matthæo tribuuntur, atque ejus nomine ubique ferè locorum venundantur. His aſſumptis, tantum abeſt, ut à quartana liberatus fuerit æger; ut, quæ ſimplex erat, in triplicem degenerârit; & cùm his temerarius ille impoſtor minimè commonitus aut perterritus, pergeret in pilularum dictarum exhibitione, eadem in continuam tranſiit, cum anorexia, & tanta

anhe-

anheloſæ reſpirationis difficultate, vel potiùs ſuſpirioſa Pectoris anguſtia, ut non niſi erectâ cervice, & ſuffocationis metu, hiante ore reſpirare potuerit, altóque & ſuſpirioſo ſpiritu multum & frigidum aerem ducere contenderet, quo plurimo cor ad refrigerium indigebat, ità ut ſubinde ſyncopen incurreret. Multo & vario remediorum apparatu huic Viro ſuccurrere laboravimus; ut, ſi fieri poſſet, à tantis anguſtiis, interitum minantibus, liberaretur; ſed fruſtrà & ſine ſucceſſu, donec tandem, in paroxyſmum vehementiorem incidens, ſuffocaretur, & extremum ſpiritum exhalaret. Patet hinc, quanto cum periculo, imò vitæ diſpendio, opiata & narcotica exhibeantur ante paroxyſmum, ad eum impediendum, ut hic circumforaneus fecit, ignarus omnino cauſarum naturalium, ut quartanæ, ità & omnium aliorum morborum. Etenim cùm hujuſmodi opiata facultatem expultricem ſopiant ſolùm & obtundant, inſtantem paroxyſmum interdum, & materiæ ac naturæ motum inhibere quidem poſſunt, ſed non ſine periculo ægri; cùm humores vitioſi in corpore retineantur, atque obſtructiones pertinaces generent, aliiſque morbis graviſſimis generandis anſam præbeant.

OBSER-

OBSERVATIO XIII.

A Tuſſi excretum membranaceum è pulmone.

Quemadmodum in aliis corporis partibus, ità & in pulmone res ſæpe alienæ gignuntur, quæ non ſolùm anguſtiam pulmonum parere, ſed & aliis modis toto genere præter naturam eſſe ſolent. Ità mihi in praxi mea occurrit Puella quatuordecim circiter annos nata, tenero admodum & macilento corpore, calida quoad viſcera naturalia, Johannis Aſhe, civis Dorcheſtrenſis filia, nugivendulis & quæ ad muliebrem ornatum ſpectant, victum quæritantis; quæ à Catarrho, difficili reſpiratione, cum ſonitu, & graviſſima ac difficillima tuſſi, quâ pituitam craſſam & viſcidam admodum rejiciebat, per ſeptimanas aliquot laboravit. Ad hanc accerſitus, purgato per pilulas de agarico corpore, & adminiſtratis aliis catarrhum inhibentibus; ad humores attenuandos, incidendos, & promptiùs expectorandos, præſcripſi lambitivum ex *Terebinthinæ cypriæ lotæ in aqua capillorum Veneris* ℥jß. *Caricarum pinguium* ℥ß. *penidiarum* ℥ij. *Olei*

Olei amygdalarum dulcium recentis ℥ß. *Miſceantur & optimè in Mortario conducantur, donec fiat lambitivum*; quo per triduum uſurpato, excrevit album quid, concavum, inſtar membranæ concretum, altero fine bifurcatum, digiti longitudine, & tubuli, quo Nicotianæ fumum recipiunt, craſſitie. Hoc excreto, tuſſis alleviata indies decrevit, donec tandem omnino evaneſceret. Credo fuiſſe pituitam tubis internis aſperæ arteriæ affixam, & calore cordis excoctam, quam tuſſis violentior avulſam è ramis bronchiorum expulerat. Admiranda videbatur in aqua iſtorum veluti ſurculorum ramificatio.

OBSERVATIO XIV.

Pleuritis legitima curata.

Πλευρῖτις Græcè, à loco affecto, nimirum Pleurâ, Latinis morbus coſtalis ſeu lateralis dicitur; éſtque inflammatio membranæ, coſtas ſuccingentis, quæ Pleura nominatur. Hæc inter morbos acutos & lethales vel imprimis numeratur; nec ullus eſt morbus inter priſcos Medicos adeò decantatus, ac Pleuritis; non ſolùm, quòd ob ſanguinis

in corde & pulmone affluentiam, ſæpiſſimè contingat, atque gravia ſymptomata & pericula ſecum adferat; ſed etiam, quia omnes Medici omnia ferè artis dogmata & præcepta ad unam Pleuritidem libenter referant. Huic morbo graviſſimo obnoxii ſunt imprimis ætate provecti, pueri raròs & ſi eâ capiantur, minùs moriuntur, quàm juvenes; quia corpora eorum ſunt rara, fluxibilia & humida. Simili ratione, fœminæ, quàm Viri, minùs Pleuritide corripiuntur; & magìs ſenes, quàm juvenes. Inter alia exempla paſſim mihi in praxi mea obviàm facta, ſit Edvardus Cheapman, adoleſcens ſexdecim præter propter annos natus, patre linoſtemmatis texendis & venundandis occupato, conſtitutione corporis biliosâ & rarâ texturâ præditus. Hic Hyeme frigidiſſimâ, validiſſimis Aquilonibus ſæviente, à frigore incautiùs contracto, ſub veſperam rigore & febri acutâ & continuâ tentari cœpit; móxque dolor in latere ſiniſtro, qui dextro periculoſior habetur, veluti cultelli acies punctorius, cum tuſſi vehementiſſima & ſputo cruento, pituitâ mixto, ſummáque ſpirandi difficultate obortus, ad jugulum uſque, ſummum humerum, & ſcapulas exporrectus, corpore ſudoribus diffluo, vigiliis urgentibus,

gentibus, pulſu exiſtente duro & ſerrato. Quæ quidem omnia veræ ſunt & exquiſitæ pleuritidis notæ. Vocatus à parentibus ad hunc adoleſcentem altero ab invaſione die; visâ morbi magnitudine & periculo, conſideratâ ætate juvenili & florente, viriúmque robore; venæ ſectionem ſuaſi, palmarium in omnibus inflammationibus remedium,quam ſine mora, parentibus conſentientibus, acceſſito Chirurgo, inſtitui, detractis ſex unciis ſanguinis ex vena interna ſiniſtri lateris, ut affluentem ſanguinem in contrarium revellerem, atque jam influxum à loco vicino unà derivarem. Peractâ venæ ſectione, exhibui, alterationis gratiâ, Julepum, ex ſyrupo jujubino & violaceo, aquâ Papaveris rhæados, ſcabioſæ & cardui Mariæ dilutis, addito ſalis Prunellæ tantillo, quod & in aliis liquoribus propinavi, ad æſtum compeſcendum, tartaream ſuburram incidendam, & dolores mitigandos. Hoc julapio humorum ebullitio quodammodo cohibita, & fluxio refrænata. A meridie verò enema emolliens & refrigerans injiciendum curo; à purgantibus ſedulò abſtinendo, nimiæ exagitationis metu. Interim inuncto latere affecto cum *unguenti Dialthææ* ℥ij. *& olei amygdalarum dulcium* ℥ß. *invicem probè mix-*

tis, *ſuperimpoſui veſicam ſuillam, decocto malvæ, violariæ, florum camomillæ, & meliloti, nec non ſeminis lini, ſemiplenam.* Ad expectorationem verò promovendam, ordinavi *linctum ex ſacchari penidii* ℥j. *ſpecierum diatragacanthi frigidi, & pulveris ſeminum Cardui Mariæ ana* ʒj. *cum ſyrupo violaceo ad juſtam conſiſtentiam redigendis.* Pro potu utebatur Ptiſanâ ex hordei decorticati & liquiritiæ æquis partibus paratâ. Sequenti die, cùm nihilo ſecius perſtaret ingens lateris dolor, & ſpirandi ſumma difficultas, anacatharſis quoque ægrè procederet, ſanguinis miſſionem repetivi ad ℥*v.* habito ætatis reſpectu, ne vires collaberentur; aliàs plus detraxiſſem. Hinc omni molimine promovendo ſputo, & ſedando dolori intentus, præter topica ſuprà præſcripta, & linctum continuandum ordinavi decoctum pectorale officinarum ter in die propinandum, à quo anacatharſis egregiè promota, cui interdum ſyrupum capillorum Veneris & de hyſſopo, nec non oxymel ſimplex parcâ doſi permiſcenda injunxi; & ſomno conciliando unguentum populeum cum laudano permiſtum temporibus applicavit. His per diem unum & alterum uſurpatis, alvo ſaltem lenitâ per enema ordinarium, mirè fuit alleviatus,
ſpem

ſpem convaleſcentiæ præbens. Quoniam verò ſymptomata non erant omnimodò pacata, placuit experiri pomum coctum cum Thure, ex Quercetani commendatione; quo per biduum uſurpato, ſuperbibendo aquæ cardui benedicti ℥iij. largo ſudore erumpente, dolor cum febri ſublatus eſt. Elapſo itaque ſeptimo à prima invaſione die, ob cacochymiam in corpore exiſtentem, eccoproticum exhibui, ex infuſione Rhabarbari, tamarindorum & caſſiæ recenter è canna extractæ, in decocto pectorali, additâ mannâ & Syrupo violarum; quo cum εὐφορίᾳ quinquies alvum depoſuit, & indies convaluit. Deo ſit laus, honor, & gratiarum actio. In pauperioribus pleuritide affectis; aquâ Hederæ terreſtris magno ægrorum commodo ſum uſus.

OBSERVATIO XV.

Pleuritis benigna intra Septimanam reſoluta.

NObiliſſima Puella Elizabetha, Nobiliſſimi Viri Dni Thomæ Moore Armigeri filia natu maxima, annos decem plùs minùs nata, gracilis & bilioſa, ac rariſſimæ conſti-

conſtitutionis, Dorcheſtriæ in gynæceo hoſpitans melioris educationis gratiâ, catarrhis obnoxia, autumnali tempore, quo aliàs eventilatio minor eſt, ut ea propter ad internas partium inflammationes ſuſcipiendas pronius ſit corpus, præcedente quodam rigore, corripitur febri, mitiori quidem, ſed continuâ, & quotidie ſub veſperam excandeſcente, cum dolore punctorio lateris ſiniſtri, ad jugulum uſque extenſo, & ſpirandi difficultate, cum tuſſi & ſputo cruento. Ad hanc vocatus, conſideratis modò dictis, nobilem hanc puellam Pleuritide laborare judicavi, cujus cauſa externa in refrigeratione conſiſteret, cùm tempore frigido, multâ veſperâ, nudo pectore, pro more nobilium virginum, prodeambulâſſet. Ut enim calor humores colliquans; ſic etiam frigus, eoſdem compingens, Pleuritidem facilè introducere ſolet; ſanguine ſcil. propter refrigerationem, circa vaſa intercoſtalia collecto; membranæque coſtas ſuccingentis, Pleuræ dictæ, cum vicinis internis muſculis, inflammationem producente. Mox itaque cùm vires utcunque perſtarent, de vena ſecanda cogitavi, ut quæ ſummum in pleuritide commodum afferre ſolet. Cùm verò venæ ſectionem Galenus in pueris ante decimum

mum quartum annum vix ſuſcipiendam ſuadeat, præſertim in corpore molli & raro, atque ad diſſolutionem prono, quale erat hujus puellæ, ſiquidem internam habent copioſam & perpetuam vacuationem ab actione ſui innati caloris excitatam; qui ſubſtantiam humidiorem facilè digerit & abſumit, unde timendum, ne huic liberali vacuationi altera addita vires proſternat. Itaque ſanguinis uncias quinque, ſic jubente Doctiſſimo Sennerto, hirudinibus ex interna ſiniſtri cubiti vena emungendas curavi; præmiſſo enemate emolliente & refrigerante. Hoc facto dolorem lateris fotu & unctione lenire ſtudeo. Fovebam autem malvarum, florum camomillæ, meliloti, anethi & ſeminum lini decocto, admotâ inſuper inunctione ex unguento dialthææ, pectorali & oleo amygdalarum dulcium; ſuperimpoſito cataplaſmate dolorum lenitivo, ℞ *malvæ, florum camomillæ ana Mj. Meliloti, anethi, violariæ ana Mß. florum violarum p. j. ſeminum fænugræci, lini ana ℨß. Decoquantur in aqua, & contuſis adde olei amygdalarum dulcium ℥j. pinguedinis gallinæ ℥ß. Farinæ hordei & Fabarum ana q. s. fiat cataplaſma;* quibus continuatis, dolor plurimùm alleviatus. Hinc ad promovendum ſputum con-

verſus, manè in juſculis exhibui oleum amygdalarum dulcium, recenter ſine igne extractum, quo alvus quoque fluidior reddita, ſubſequente promptâ & facili anacatharſi; interdiu verò utebatur linctu ex ſyrupo violaceo, capillorum Veneris, diatragacantho frigido, diaireos, & ſaccharo cando, atque penidiis. In principio morbi aſſumpſit tincturam florum papaveris erratici cum aqua cardui Mariæ & ſcabioſæ, cum ſpiritu ſulphuris, addito pugillo uno vel altero florum violarum, extractam; Poſtea etiam decoctum pectorale officinarum hauſit; & pro potu ordinario bibit decoctum hordei cum paſſulis, liquiritia & ſeminibus aniſi. His ſummâ diligentiâ adminiſtratis, aſpirante gratiâ divinâ, & Naturâ cooperatrice, intra paucos dies puella hæc à lateris dolore & ſputo cruento liberata, ut è lecto ſurgeret, remanente tuſſi non admodum moleſtâ, cui removendæ, phthiſeos vano metu, viſum eſt nobiliſſimæ Matri, inſtigatione avunculi, alium Medicum in conſilium adhibere. Hic anteacta, pro more multorum, accuſans, maximè verò quòd venæ ſectio neglecta, & quæ ſanguinis per hirudines detractio inſtituta fuiſſet, nullius ſit momenti, venæ ſectionem

inſtituit

inſtituit ſexto morbi die, cùm febris & reliqua ſymptomata ceſsâſſent; detractis, ne nihil feciſſe videretur, quatuor circiter unciis ſanguinis ex baſilica dextra, oppoſiti ſcil. lateris, id quod inter errores Medicorum à doctiſſimo Fuchſio numeratur qui plures rationes in contrarium allegat. Die ſeptimo exhibet pulverem ſenæ, quo ſexies vel ſepties fuit purgata. Sub veſperam ejuſdem diei incidit in ſudorem ſpontaneum copioſiſſimum, à quo omnino convaluit, aſſumpto tamen aliquandiu balſamo Peruviano. Hæc licèt ἀμεθόδως & ſine ratione inſtituta, nullo tamen ægræ damno; quòd vires ubi valentes ſunt, quales erant in hac puella, omnia contemnant & tolerent; ubi infirmæ fuerint, à quovis offendantur.

OBSERVATIO XVI.

Pleuritis cum Vermibus.

HAud rarus eſt lateris dolor à vermibus oriundus, dum vapores à vermibus putrefactis, aut materia verminoſa, in inteſtinis hærente, elevantur in membranas & muſculos pectoris, eóſque malignitate ſuâ

diſtendunt & vellicant. Sed & vermes interdum cum pleuritide vera conjunguntur, graviſſima ſymptomata producentes; id quod accidit filio D^ni^ Farr de Shilvington, luſcienti, adoleſcente decimum quartum ætatis ſuæ annum egreſſo, macilento & bilioſâ conſtitutione prædito, in Ludo literario Dorcheſtrenſi literis operam navanti. Hic extremâ hyeme contracto frigore incidit in pleuritidem veram, apprehenſus febri continenti, cum dolore punctorio ſiniſtri lateris ad jugulum uſque extenſo, cum difficultate ſpirandi, tuſſi violenta, & ſputo cruento. Huic interdum corpus frigidum, interdum calidum erat; & malæ rubore perfuſæ apparebant, cum totius corporis jectigatione. Ad hunc tertio demum die vocatus, ſtatim hirudinibus ſanguinem ex vena media ejuſdem lateris emungo; mox dimidiam partem Julapii, alterationis causâ, propino: ℞ *Syrupi jujubini & violarum ana* ℥jſs. *Aquarum Papaveris rhæados, ſcabioſæ ana* ℥iiij. *Miſce: alteram partem horâ ſomni exhibeo. Latus interim inungo unguento dialthæâ, & oleo amygdalarum dulcium, aſperſo pulvere cumini, & ſuperimpoſito braſſicæ folio.* Linctum præterea præſcribo, ℞ *Syrupi violarum, jujubini ana* ℥j. *de liquiritia* ℥ſs. *cum*
tabulis

tabulis diatragacanthi frigidi, & de althea, ad debitam conſiſtentiam redigendis. Quinto die cùm alvum non deponeret, injiciendum curo enema lacticinum; quo varia pluries dejecit, & in iis quinque vermes, quos teretes vocant. Interim pergo in ſuprà præſcriptis, paucis ſaltem mutatis, & contra vermes indies exhibeo pulverem ℞ *Scordii, cardui benedicti ana* ℈j. *Corallinæ* ℈ij. *Cornu cervi uſti* ʒj. *Rhabarbari* ℈iiij. *ſalis centaurii* ℈j. *Doſ.* ʒß. quo quotidie plures dejecit vermes, ſupra triginta uſque. Pro potu utebatur decocto radicum graminis, raſuræ cornu cervi & ſebeſten, addito interdum ſyrupo jujubino, de portulaca, & limonum. His paucis continuatis, puer hic, cui ſputa egregiè per totum morbi decurſum procedebant, curatus eſt intra quatuordecim dies; purgatus poſtea Rhabarbaro. Deo ſit laus & gloria.

OBSERVATIO XVII.

Aſthma inſtantibus menſibus periodicè revertens.

SPirandi difficultas tres habet apud Practicos gradus, ſecundùm magis & minùs ſolùm differentes, qui tamen à multis

confunduntur. Δυσπνοῖα, difficilis reſpiratio, Ἄσθμα, ſeu anhelatio, quæ eſt dyſpnœâ gravior, & Ὀρθοπνοῖα recta reſpiratio, quæ omnium graviſſima. Veteres dyſpnœam ab aſthmate diſtinguebant hoc verſiculo.

Dyſpnœa ſe celat, canit aſthma, morbúmq; revelat.

Hoc loco exemplum proponam illius ſpirandi difficultatis, quæ à Græco ἀσθμαίνειν, anhelare, Medicis vocatur Aſthma; cujus vocabuli vim exprimere volens Virgilius, Senibus, inquit, medicatur anhelis. Eſt enim hoc malum Senibus magìs, quàm juvenibus familiare, & infeſtum maximè; quorum hi non ſine difficultate, illi verò raro aut nunquam curantur, ſed malum eos ad mortem plerumque comitatur. Trallianus vult, mulieres Viris huic morbo eſſe propenſiores, quia frigidiores & humidiores. Aurelianus verò contrarium ſtatuit; fortè quia mulieres catameniorum menſtruo profluvio illibatæ præſervantur; quibus ſubſiſtentibus, aut diminutè fluentibus, morbi accidunt, Hippocratis oraculo 5. Aph. 57. Et inter eos difficilis reſpiratio. Id quod contigit honeſtiſſimæ Matronæ Annæ Gardner, Pharmacopœi Wimbornenſis conjugi, triginta circiter annos natæ, habitûs mediocris, humidioris conſtitutionis, & ſe-
roſis

roſis excrementis, viſcerum naturalium vitio, abundanti; facie pallidâ cum cachexiæ indiciis, fluori albo & hyſtericis affectibus obnoxiæ. Hæc brumali tempore, per aliquot menſes inſtante menſium tempore, ſubitò circa veſperum maximè, anguſtiam quandam & compreſſionem pectoris ſenſit, cum ſpirandi difficultate, ſtertore & ſonitu juncta, abſque febri, vel ſaltem vix perceptibili, ſubſequente mox tuſſi, cum copioſa pituitæ aqueæ rejectione; vigiliis etiam urgentibus, ut totam noctem inſomnis traduceret; urinâ exiſtente craſsâ, & turbidâ. Quæ quidem incommoda, quotquot ſunt, finito menſium fluxu omnia ceſsârunt; ſed ſequenti menſe denuò redierunt, novúſque paroxyſmus ſuperveniens, novam illi peperit moleſtiam. Vocatus ad ægram, tanti mali cauſam in pulmonibus quærendam eſſe duxi; ídque ſecundùm bronchia, ſeu aſperæ arteriæ cartilaginoſas propagines, per pulmonem diſperſas, quæ ſpiritûs viæ ſunt. Cùm enim, propter obſtructas has fiſtulas, Natura non poteſt ſemel & uno inſpiratu cor abunde refrigerare, materiámque vitalis Spiritûs illi ſuggerere, nec fuliginem excludere exſpiratu, anhelitu crebro & veluti ſuſpirio hunc defectum cogitur compenſare;

indè

indè Aſthmatici nuncupantur ſuſpirioſi, & anhelatores. Etſi verò Practici hanc in bronchiis pulmonum obſtructionem vel à materiæ in iis, ob debilitatem eorum vel cachexiam, congeſtione, vel à Catárrho à capite, tanquam proprio ſeroſarum humiditatum labro & receptaculo, in pulmones depluo, plerumque oriri ducant: Attamen cùm ſpirandi hæc difficultas, ſubitò & non ſenſim contigerit, nec continuò, ſed ſtato menſium tempore infeſta fuerit; neque quicquam in capite protopathici, quod defluxus alicujus ſuſpicionem præbere queat, obſervare potuerim; Aſthmatis hujus cauſam aliunde in pulmones affluere judicavi; humoréſque crudos & ſeroſos, menſium tempore in venoſo genere cum ſanguine agitatos & commotos, per venam arterioſam in pulmonum bronchia effundi, ídque circa veſperam & noctu potiſſimùm, quo tempore humor iſtiuſmodi moveri maximè ſolet. Huic itaque ægræ ut opem meam pro virili ferrem, fortes ſtatim inſtitui partium inferiorum frictiones & ligaturas, ſi forſan humores ad ſuperiora ruentes revellere poſſem; mox & ſaphenam, ut menſes etiam promoverem, aperiendam curavi, ſex circiter detractis ſanguinis unciis. Hinc ad lenientia,

attenu-

attenuantia, & expectorantia acceſſi; exhibendo ſæpius in die oleum ſacchari ſive ſyrupum ardentem cum violaceo permiſtum, nec non Hippocraticum pectorale, ℞ *Aquarum vitis albæ, Meliſſæ, Tuſſilaginis, Helenii, Roſarum ana* ℔ſ. *In his infunde in MB. per horas iiij. Rad. Liquirit.* ℥ij. *Galangæ, Aniſi, ireos Florent. ana* ℥j. *Cinamom.* ℥ii. *Calami aromat.* ℈j. *Olei tartari* ℥ſ. *Factæ expreſſioni & per manicam Hippocrat. colaturæ adde ſyrupi ardentis* ℥v. *Ms. fiat Hippocraticum.* Extrà verò pectus inungi curavi Unguento pectorali in Diſpenſatorio deſcripto. Atque hæc in paroxyſmo facta. Extra paroxyſmum, præmiſſo Apozemate præparante, purgata fuit pilulis de Agarico & fœtidis. Et pro potu uſa eſt Zytho, Tuſſilagine, hyſſopo, capillo Veneris medicato; in quo ſuſpendit oniſcos ſive millepedes ſacculo incluſos. Atque his adminiſtratis, libera vixit ab hoc malo per novem annos; & tunc denuo correpta, eâdem fere methodo fuit curata. In pauperibus cum ſucceſſu exhibui pulverem albi Græci ex aqua vitis albæ, nec non potum ex vitellis ovorum aquâ fontanâ dilutis.

OBSERVA-

OBSERVATIONUM MEDICINALIUM LIBER TERTIUS.

OBSERVATIO I.

Ventriculi Cruditas.

VEntriculus, cibi potûſque commune receptaculum, & veluti alterum copiæ cornu promptuarium, primæque coctionis officina, magnam obtinuit in naturali œconomia dignitatem, ſed neceſſitatem multò majorem. Illam inter cætera luculenter teſtatur, quòd magna ſit illius in totius corporis alteratione & imminutione facultas. Hinc à Q. Sereno Regis nomine inſignitur;

Hujus enim validus firmat tenor omnia membra,
Et contrà ejuſdem franguntur cuncta dolore.

Hanc

Hanc verò Hippocrates, Medicorum coryphæus, paucis quidem, ſed plenè expreſſit; Qualis, inquiens, terra arboribus; talis venter animalibus; Hinc ſi vel minimùm afficiatur, aut diuturnâ officii vacuitate reddatur ignavior, tota corporis œconomia, commodo alimento deſtituta, corruit & labaſcit. Hujus mali ſenſibilis, conſilium meum imploravit, ornatiſſimus idémque doctiſſimus D^nus^ Johannes Thompſon, artium magiſter, relictâ Oxoniâ, celebri ſtudiorum emporio, in patria, quam habuit Dorcheſtriam, pro tempore degens, annos circiter triginta numerans, corpulentus, & ſtaturâ procerus, temperamento ſanguineo-phlegmatico præditus, de ventriculi gravitate, anorexia, flatibus, ructibus, vomitu matutino, capitis dolore, & momentaneo calore querulus. Quæ quidem omnia læſæ concoctionis, χυλώσεως nomine inſignitæ, genuina ſunt ſoboles. Et certè, coquo hoc malè habente, totum facilè trahitur in malignitatis conſenſum, cùm pleraque ſub Lunæ concavo, ſed præcipuè corporis humani partes tacito virium conſenſu divinitus conſpirent. Et licèt ventriculus minimè annumeretur principibus partibus, attamen ex vitioſo ejus ſtatu omnes ferè morbi natales ortus derivant,

vant, à quibus poſtea idem repatitur. Hinc ab Hippocrate Mari aſſimilatur, à quo ut omnes fluunt fluvii, atque in idem refluunt; ſic ventriculus toti corpori mala ſua communicat, ab eodémque recipit. Sed ut ad cauſam hujus mali accedam, ex Galenicorum doctrina depromptam, qua ſancitum eſt, melancholicum ſuccum à Liene in ventriculum per vas breve transfuſum appetentiam excitare. Hic ſive à Liene per vas breve, quæ veterum eſt opinio, in ventriculum eructetur; ſive ab arteriis cœliacis in eum effundatur; ſive eidem ſit congenitus, ut quidam volunt; de quibus adhuc ſub judice lis eſt, non tantùm naturalis eſt, ſed & adeò neceſſarius, ut abſque eo chylificationis munus & ciborum concoctio ritè atque ex naturæ inſtituto perfici nequeat. Siquidem inciſivâ & penetrante, qua pollet, facultate, craſſiores & ſolidiores cibos in minima fruſtula incidit, diſcerpit, atque diſſolvit; & quicquid iis ineſt ſucci alimentarii ad tincturæ modum elicit atque imbibit, dummodo à calore moderato, qui ſe habet inſtar cauſæ ſine qua non, excitetur, & foveatur. Ab immoderato enim diſcuti, ſæpiùs etiam penitus extingui ſolet. Hic ichor, dum ſecundùm naturam ſe habet, bonam

atque laudabilem concoctionem efficit, bonique appetitûs autor eſt. Ubi verò deficit ſuccus iſte, infauſta ſequitur concoctio, & nullus adeſt appetitus. Si verò in ventriculo luxuriet, & naturæ modum ſuperet; præter alia mala, cruditates generat; ut accidit huic Viro. In quo curando hæc fuit inſtituta methodus. Primò quidem probam victûs rationem ei injunxi, abſtinendo à magno remediorum apparatu, ne tali fortè ventriculo debili vis inferretur. Si ſolâ curare poteris rectâ diætæ normâ, inquit Damaſcenus, proſperè Tibi cuncta ſuccedent. Præſcripſi itaque boni ſucci & facilis concoctionis cibos, moderatâ calefaciendi & ſiccandi vi præditos, in quantitate auream mediocritatis regulam obſervando. Siquidem cibi vel optimæ etiam notæ, ſupra modum ingeſti, Galeno autore, frigidos morbos generare ſolent. Cibos etiam multiplices, & naturâ differentes, unâ eâdémque menſâ aſſumendos prohibui. Magnam enim in infimo ventre, qui Plauto infimum guttur vocatur, progignere ſolent perturbationem. Unde Baſilius, τὸ ποικίλον τῆς διαίτης luxuriæ ſupplicium & flagitiorum obſonium haud ineptè nominavit. In ordine etiam cavere juſſi, ne cibi difficilioris digeſtionis facilioribus

cilioribus præmittantur, ſic ſuadente Galeno, qui ſatius, inquit, ſcire, ex cibis, qui ſubducuntur, poſteriores quidem ſumendos, qui tardè permeant; omnium autem primos, qui celeriter quidem pervadunt, corrumpuntur tamen, ſi in ventriculo diutiùs morentur. Singulas diætæ minutias recenſere, nimis longum foret, ſufficiat generalia indigitâſſe. Cibos, craſſum, viſcidum, & frigidum ſuccum præbentes, & flatus generantes, fugiendos ſuaſi. In potu modeſtiam; in exercitiis, jejuno ventre, minimè verò à paſtu ſuſcipiendis, moderationem conſului; ne immoderatis calor nativus debilitetur. Somnum quoque & vigilias modeſtas eſſe inſtituendas juſſi, quas ventriculi debilitas, ſi quis alius affectus, requirit. Interdixi etiam edacibus animi curis & pathematis; improbis à paſtu ſtudiis; omnibus denique immodicis laboribus. Cæterùm, cùm Chirurgia in ventriculi imbecillitate non habeat locum, eâ in Vernum tempus rejectâ, hepate exiſtente calidiore & præſente etiam plethorâ, hepaticæ ſectionem ſuaſi, vel etiam venarum hæmorrhoidalium apertionem, tunc temporis inſtituendam. Interim quoad pharmaciam, cautè procedendum duxi; ne quid detrimenti caperet languida ven-

triculi conſtitutio. Solet enim à pleriſque medicamentis plurimum lædi. Cúmque evacuatione opus ſit in omnibus morbis, in quibus, præter qualitates, adeſt etiam aliqua præter naturam materia; autor fui, ut ſtomachi ſaburram per ſuperiora everreret; non tamen validiore aliquo emetico, ne parti debili vis inferretur; ſed ut poſt largiorem cœnam & liberaliorem omnium ingurgitationem, elapſis duabus horis, adactis in fauces digitis, aut pennâ vomitum moveret; qui multò facilior ſuccedere ſolet, atque ea educere, quæ vix ulli emetico datum eſt. Quo cum εὐφορίᾳ ſuccedente, idem remedium ſuaſi ſemel in menſe iterandum, donec Veris ad nos internunciæ revolârint hirundines; quo tempore etſi jam meliùs haberet, & à vomitu matutino liber eſſet; meo conſilio aſſumpſit vinum ſquilliticum, infuſione Croci metallorum fortificatum, addito oxymelle, quo, magno ſuo commodo, plurima ejecit pituitoſa. Poſt ſingulas verò menſtruas vomitiones noctu devoravit ſcrupulos duos pilularum ex maſſa pilularum de hiera, maſtichinarum, & Macri, æqualibus partibus; adjectis ſalis abſynthii granis ſex, cum Balſamo Peruviano efformatarum. Intermedio tempore repetitis, quoties

ties opus, iiſdem pilulis, pro ventriculi corroboratione aſſumpſit conſervam roſarum rubrarum, Spiritu vitrioli philoſophico inebriatam: Elixir quoque proprietatis, & pulverem Aronis compoſitum: Nec non Electuarium corroborans, ex conſerva roſarum vitriolata, Majoranæ, Betonicæ, cichorei, cum corticibus citri, conditis, Zingibere condito, & myrobalanis; quibus ſpecies aromatici roſati & pulveres teſtacei, corallorum, perlarum, lapillorum cancri, & ſimilia erant permiſti. Ante paſtus etiam aſſumpſit ſpecies aromatici roſati, & diambræ, ſaccharo permiſtas; cum pane albo toſto, vino inebriato, & à paſtu pulverem pepticum. Extrà verò ſtomachum firmare laboravi Emplaſtro è Caranna in aqua Cinamomi ſoluta, addito balſamo ſicco, & ſpeciebus aromatici roſati. His paucis Vir hic omnino convaluit, ventriculo probè officio ſuo fungente, Deo adjuvante; cui ſit honos & gloria in omne ævum.

OBSERVATIO II.

Affectus hypochondriacus cum cibi eructatione à paſtu.

Recta victûs ratio neglecta, poteſt vel optimum quemvis habitum corrumpere; vel prudenter ſervata, deterrimum corrigere. Hujus rei exemplum nobis præbet Vir generoſus, fortis & ſtrenuus, D^nus Thomas Tregonwell, de Anderſon, Armigeri ordinis, proceræ ſtaturæ, habitu gracili, temperamento cholerico-melancholico, equis curſoriis alendis plurimùm delectatus; hic violentioribus exercitiis, cùm eſſet valido corpore, nimis aſſuefactus, & liberaliùs indulgens genio, in ciborum quorumcunque citra ullum delectum uſu, & vini meracioris largiore potu; intempeſtivo Nicotianæ, in funem contortæ, per tubulum fictilem, à plaſte in eam rem efformatum, hauſtu; cæteríſque in victu erroribus, naturâ penè peſſundatâ, in graviſſima ſe infortunia præcipitavit. Eructabat ille minoribus fruſtulis cibum, elapsâ circiter à paſtu horulâ, necdum in chylum reductum; ſalivam plurimam, ut ſolent melancholici, continuò expuebat,

puebat, eámque adeò acidam, ut dentes hebetaret, quotieſcunque ichor vitriolatus è ventriculo in os rejiciebatur; &, quod caput rei eſt, tertio quartóve menſe vomitu excernebat, neſcio quid non tam cruentæ, quàm fuſcæ, & per longam aduſtionem atræ materiæ, cum maximo oris, ventriculi, & faucium ardore, quem vix potus aliquis mitigare valebat, donec dulcioris pituitæ adventu per ſe deſæviret. Ordinaria ſunt iſta, & atrabiliariis, tam naturali, quàm adventitiâ diſpoſitione, valde familiaria ſymptomata. Hinc Galenus, ex mente Dioclis, hypochondriacam melancholiam, per quandam ventriculi veluti inflammationem deſcribit. In hoc affectu ut plurimùm fervidum hepar craſſiorem ſanguinis fæcem per ramum ſplenicum portæ amandat in ſpongioſum lienis parenchyma; in quo non emendatur, imò exacerbatur efferus iſte humor, rarefactus per fermentationem ſpirituum, cum ſalinis ſubſtantiis permixtorum, quæ ebullitio hypochondriacorum ſæviſſimas excitat tragœdias. Naturale eſt, ut in omnibus corporibus humanis etiam optimè valentibus, ichor quidam acidus, quem liceat mihi vitrioli ſpiritum eſurinum, cum chymicis, indigitare, à liene per vas breve, vel

ab arteriis cœliacis, ut alii volunt, etſi quidam eum cum ventriculo congenitum putent, in ſtomachum lentè & quantum opus eſt, deſtillet; non tantùm ad excitandum appetitum, ſed & promptè comminuendum & diſſolvendum cibum ingeſtum; tum & quicquid in cibis ineſt ſucci alimentaris, ad tincturæ modum eliciendum. Iſte ichor, ſi vel quant tàte auctus, vel qualitate ferocior factus, naturæ modum ſuperat, irritat ventriculum, concoctionem pervertit, cruditatum autor eſt, per nativi caloris diſſipationem; & vel mucum viſcidiſſimum liquat in ſalivam, quam pars affecta per œſophagum continuò rejectat in fauces; unde fit, ut melancholici omnes vulgo ſint ſputatores & flatulenti. Quando verò in lienis centro uſque & uſque attenuata eſt bilis atra, fluit etiam in ſtomachum variè tincta, pro aſſationis, vel meliùs pro variarum ſubſtantiarum mixtionis gradu; quin & in nonnullis nonnihil cruoris ex vaſe hiante effluit, & dantur melancholici, qui à liene libras aliquot, imò pelves puri puti ſanguinis, quà data porta ruentis, evomuerunt, cum fæcibus inſtar Picis nigris, ſanguinis parte per inteſtina devolutâ, qui ſolet extra vaſa nigreſcere. Ità miſer ſtomachus inter incu-

dem

dem & malleum, tot hoſtibus ipſum circumſtantibus, languet, & coquus ille toti córpori alendo deſtinatus, ipſi, primæ coctionis haud emendabili vitio, accerſit perniciem. Atque in iſta partium vicinarum intemperie conſiſtit cauſa tam difficulter ſuperabilis mali; quod ab exuberante humore, & inſeparabili ſymptomate, melancholia & flatus, à ſitu theatri, in quo fervent iſtæ tragœdiæ, hypochondriorum nomine appellatur. Atque hæc eſt idæa cauſarum complicatorum affectuum in hoc Nobili Viro, quò intentiones curativæ dirigendæ; quæ cùm variæ ſint, iis hyeme frigidiſſimâ, validiſſimis Aquilonibus ſæviente, in vernum tempus rejectis, curando ſaltem & corroborando ſtomacho inſudatum; vitatis iis, quæ intentum noſtrum deſtruere poterant, expediendis aliquatenus viſcerum naturalium obſtructionibus, & corroborandis partibus, quæ robore indigebant. Ac primò quidem injuncta fuit proba victûs ratio, in qua plurimùm delinquebat; ſedulò abſtinere juſſus ab omnibus acribus, ſalſis, piperatis, acidis præſertim, à piſcibus viſcidis, piſtoriis operibus, mellitis, ſaccharatis, oleribus crudis, pinguibus cunctis, niſi aliquando oleum amygdalarum dulcium ſæviente

ichorum

ichorum penetrabili aculeo, ratione ſymptomatum, per cochlearia exhibitum. Potus imprimis talis erat, qui nunquam aceſceret; id quod fermentatis liquoribus, tartaro magìs quàm ſpiritu abundantibus, convenit; in quorum cenſu ſunt vina omnia tenuiora, Gallicum, Rhenanum, Pomaceum, Pyraceum, cereviſia utraque, mulſa & alia; ſolo vino Hiſpanico excepto, quod impermiſtum nunquam aceſcit. Bibit autem ſolam aquam, vel ex puriſſimo fonte ſcaturientem, vel pluviam per arenam depuratam, eámque crudam; quæ in hoc caſu coctæ præferenda. Cùm verò durum hoc eſſet, poſtquam per ſeptimanam continuâſſet, ut qui generoſiſſimis potionibus aſſuefactus erat, bibebat tres partes aquæ cum una vini Canarini dilutas, interdum etiam aquam decoctionis hordei mundati, quæ leniter detergendo nutrit, & humectando refrigerat. Inſtitimus in potu maximè, quia ut indè proculdubio augeſcebat fundi calamitas, ſic indè magnum expectabamus emolumentum. Interdum etiam, ob faſtidium, permutationis causâ, uſus eſt decocto glycyrrhizæ, quæ omnes in corpore natas cruditates egregiè demulcet. Et cùm æger fumo Nicotianæ aſſuetus eſſet, & magno

totius

potius corporis diſpendio eodem abuteretur, neque penitus carere poſſet; ſuaſimus, ut eo vel rariſſimè uteretur. Cúmque exercitiis violentiſſimis nimiùm eſſet deditus, corpus cum moderatione agitare temporibus idoneis juſſimus. Interim & per propria emiſſaria indies ſuccreſcentia excrementa per enemata, & pilulas uſuales evacuata. Injunctâ hoc modo diætâ, ante omnia neceſſe erat, ut ventriculus everreretur; non quidem validiori emetico, præſertim ſtibiato, ne vis ſtomacho, qui magna cum difficultate ſubverti conſueverat, inferretur; ſed interpoſitis duobus diebus bis, poſt largiorem cœnam & liberaliorem omnium ingurgitationem, elapſis duabus horis, adactis in fauces digitis, vomitu provocato; quod egregiè ſucceſſit, & cum εὐφοϱίᾳ, quo ea, quæ vix ulli emetico datum eſt, ſunt educta; & idem remedium pari ſucceſſu poſt quatuordecim dies repetivit. Poſt ſingula everricula, deturbata fuit alvi ſentina pilulis ex aloe roſata, maſtiche, gummi guajaci, paucis granis ambræ gryſeæ, additis granis quatuor extracti colocynthidis cum ſpiritu vini parati, omnibus exceptis ſ. q. balſami Peruviani. His adjunxit ſequens Elixir, ℞ *Spiritûs Vini optimi in vitreis organis extracti*

tracti ℔jß. *Theriacæ Andromachi veteris & probatæ* ℥j. *Miſceantur in vitro digeſtionis, vel vaſe concurſûs duplici; cujus pars ſuperior ſatîs lata ſubeat inferiorem. Fiat digeſtio, exactiſſimè lutatis juncturis, in cineribus tepidis per quatriduum; poſteaquam clarum fuerit, ſeparetur à magmate per chartam emporeticam pro uſu.* Hujus quotidie manè jejuno ſtomacho, horis tribus ante alimentum, aſſumpſit cochlear unum in aqua ſtillatitia ex partibus iiij. abſynthii vulgaris, ij. abſynthii romani, & duabus cochleariæ batavicæ infuſis & fermentatis in ala recenti, per vj. vel octo dies. Poſt aſſumptionem moderatè ſe exercebat equitando vel ambulando in plano, ut corpus nullam vim pateretur. Deinceps unicum erat conſilium extinguendæ aciditatis & acrimoniæ ſucci luxurientis. In eum finem præparatæ ſunt pilulæ. ℞ *Coralli rubri, oculorum cancri, conchæ matris perlarum præparat. ana* ℥ß. *Salis tartari albiſſimi* ʒij. *Salis abſynthii* ʒj. *omnia permiſceantur & excipiantur ſ. q. balſami Peruviani, fiat maſſa pilularum,* de qua capiat quotidie manè ʒj. jejuno ventriculo, ſuperhauſto aquæ abſynthitis momento. His annexuit uſum pulveris digeſtivi, ℞ *Seminum aniſi, fœniculi, coriandri ana* ʒiij. *flavedinis citri & aurantio-*

rum

rum conditorum ſicc. ana ℥ß. Summitatum roriſmarini & majoranæ conditarum ana ʒjß. Menthæ hortenſis itidem conditæ ʒj. Cinamomi interioris ℈vij. corallorum rubrorum, oculorum cancri, vulgari modo præparatorum, ana ʒij. Cornu cervini vitriolati, & ſpodii ex ebore ana ℈iiijß. ambræ gryſeæ ʒj. Sacchari cryſtallini quadruplum pondus omnium, miſce, fiat pulvis, utendus ex cochleari horâ dimidiâ poſt ſingulos paſtus. His aliquandiu continuatis, importuna cibi eructatio, & vomitus interpolatus, cum omnimoda aciditatis extinctione, fuit curata, & penitus ablata, & impoſterum pancraticè vixit.

OBSERVATIO III.

Clyſter vomitu rejectus.

ETſi Clyſteres, ventriculo bene affecto atque ex naturæ lege conſtituto, in graciliora inteſtina penetrare nequeant, ob valvulas, mirâ providentiâ inteſtino cæco affixas, quæ fæcum & inutilium humorum, aliorúmque liquorum, quæ injici ſolent, refluxum impediunt: Galenus tamen, ſcholæ medicæ fulgentiſſimum jubar, nonnullis, inquit,

quit, clyſteres injecti, ità aſcenderunt, ut vomitione rejecti ſint; non ſecus ac fæces per lethales volvulos ſæpe evomuntur. Id quod de ventriculo malè affecto & laborante intelligendum. In hoc caſu trahit ab inferioribus, non injectos tantùm liquores, ſed & fæces ipſas. Qua ratione ſcilicet hepar famelicum crudos & planè incoctos ſuccos à venoſo genere trahere ſolet; pari ſanè modo ventriculus ſæpe fæces & injectos liquores prolectat. Interdum etiam depravato naturali inteſtinorum motu, colligentibus ſeſe circularibus villis, infernè ſurſum injectus liquor ad ventriculum uſque aſcendit. Hujus rei exemplum ſemel tantùm in diuturna praxi mea mihi occurrit, in virgine quadam, viginti ſeptem circiter annorum, Johanna Coker, aurifabri Dorcheſtrenſis filia, optimo corporis habitu prædita, nec toto vitæ tempore ullo morbo correpta. Hæc neſcio qua de cauſa ventriculi gravitate & cibi averſione quærula, meum imploravit conſilium; cúmque alvum habuiſſet per plures dies adſtrictam, autor ei fui, ut injecto, ad fæces emolliendas, clyſtere, ex lacte ſaccharato parato, alvum leniret; quem per horam in inteſtinis retentum, ſine ullis fæcibus, nihil prorſus mutatum, non ſine ſui

ſui ipſius terrore & adſtantium admiratione, vomitu rejecit; à ventriculi gravitate ſimul liberata, ità ut aliis remediis non fuerit opus. An ergo bene affecto ventriculo clyſteris ſubſtantia jejunum non tranſcendit; eodem inani & famelico, fugâ vacui trahitur? Siquidem alimentarii inopiâ, excrementitium humorem attrahit venter, quo ſe expleat. An potiùs clyſteres alimentarii, qualis eſt lacticinius, naturæ grati attrahuntur, medicamentoſi minimè, quia ingrati?

OBSERVATIO IV.

Fruſtulum carneum vomitu rejectum.

Multa occurrunt practicis rara, quæ faciliùs admirari licet, quàm cauſas eorum aſſignare. Ità conſultiſſimus Vir D^nus Samuel Bond, juris conſultus, Dorcheſtriæ habitans, ætatis conſiſtentis, inæquali viſcerum intemperie præditus, & alvo continuò lubricâ; poſtquam tertianâ nothâ diuturnâ, in media æſtate laboraſſet, ſenſit aliquoties aliquid in gulam aſcendere; tandem in paroxyſmo quodam ad vomitum provocatus, rejecit fruſtulum carneum, juglandis longioris

longioris quantitate, floridi coloris, inſtar carnis vitulinæ recenter mactatæ, ſine ullo ſanguinis veſtigio. Erat autem fibroſa caro, in longum & tranſverſum ſectibilis, minimè fœtens. Etſi verò hujuſmodi accidentia ſint rara, quæ non ſunt artis, attamen ab artifice ſunt notanda.

OBSERVATIO V.

Pica ſive Citta in Virgine.

PIca ſive Citta nihil aliud eſt, quàm appetitus depravatus; non tantùm utero gerentibus, ſed & aliis puellis, pueris quoque & viris, præſertim melancholicis, licèt rariùs, contingens; ſtomachi admirabilis affectus, cùm rugoſæ orificii ventriculi tunicæ acidis, acerbis, amarulentis imbutæ ſunt humoribus, qui illum abſurda appetere cogunt; cujus generis ſunt teſtæ, carbones extincti, terra chimolia, & ejus farinæ alia; quod præſens exemplum confirmat in puella nobili, læto alioquin animo, & ingenioſa admodum, Maria Bulkly, Nobiliſſimi Viri, D^ni^ Johannis Bulkley, Armigeri, filia, natu ſecunda, annum agens viceſimum, ſta-

turâ mediocri, gracili & raro corporis habitu, & facie pallidâ. Hæc picâ laborans, non tantùm magnâ voluptate è libris lambendo delingebat atramentum, quo typographi utuntur ad imprimendas chartæ literas, ab uno folio ad aliud lambendo progrediens, ut exſiccata omnia conglutinata eſſent, nec invicem ſeparari ampliùs potuerint: Sed & ramenta coriorum rubrorum, à tergo aſperorum, quibus ſellas veſtire ſolent, fruſtulatim avulſa & concerpta continuò maſticabat, deglutito ſeſe ſucco ſatiare neſcia. Scilicet naturæ vires re deſideratâ reficiuntur, ut in regula Auguſtini dicitur, Etiamſi noceat, creditur prodeſſe, quod delectat. In hac nobili virgine proculdubio humores vitioſi, malâ victûs ratione, & otio accumulati, tunicis ventriculi inhærebant, & hinc orificium ejus affligebant; ab ùtero forſan etiam tranſmiſſi, cùm catamenia parcè fluerent. Vero tamen ſimile eſt, humores non tantùm vitiatos fuiſſe, verùm etiam proprietatem quandam habuiſſe, cujus cauſâ allecta fuerit ad appetentiam potiùs dictarum, quàm aliarum rerum. Quæ verò ſit proprietas illa, integrè explicare difficile, imò impoſſibile videtur. Colligendum ex hoc exemplo, quàm potentes ſint oris

ventriculi affectus, adeò ut rationis conſilium evincant. Abeſt enim pars illa longiſſimè à cerebro, quod domicilium eſt & ſedes rationis. Hinc fames & ſitis minùs reguntur conſilio ſeu ratione, quæ eſt in capite. Unde Cato dicere ſolebat, Ventrem carere auribus. Curata fuit chalybeatis, præmiſſis univerſalibus, & injunctâ probâ victûs ratione; vivítque nunc & valet vegeta, conſtans, atque ſaluberrimo ſtatu prædita, cui impoſterum fauſta quæque & felicia precor & auguror.

OBSERVATIO VI.

Pica à menſium obſtructione in virgine.

INter alias pœnas, quibus Deus, juſtus delictorum noſtrorum vindex, ob lapſum primorum parentum, muliebrem affecit ſexum, multiplices iſti morbi, qui iis accidunt, meritò numerantur. Inter quos maximè admirabilis eſt inuſitatus ille & abſurdus rerum non edibilium appetitus; quo, miro ardore, nonnullæ carnes crudas, calcem, arenas & ſimilia appetunt, & impune devorant. Picam Medici nominare ſolent hunc affectum.

affectum. Eâ laboravit Maria, Reverendi Viri, Dni Guilielmi Ben, paſtoris ad omnium Sanctorum Dorcheſtriæ vigilantiſſimi, filia natu ſecunda, gracili admodùm & rarâ corporis texturâ, ſanguineo-melancholica. Mirâ verò & inſatiabili aviditate, ob menſes obſtructos, devorabat fictiles tubulos, à plaſte ad hauriendum Nicotianæ fumum efformatos; nec non cappares & acetum, cum languore, & aliorum ſalubrium ciborum, præſertim carnium, faſtidio; ídque longo tempore, antequam deprehenderetur. Solent Medici hujus mali cauſam in humores vitioſos, pravâ qualitate præditos, tunicis ventriculi inhærentes, ibíque vel diætæ erroribus congeſtos, vel ab utero tranſmiſſos, conjicere. Sed non ſine cauſa dubitare quis poſſit, an hujus mali cauſa ſoli ventriculo ſit tribuenda. Etſi enim hic, ex officio, cibum appetat; ciborum tamen electio, hunc ſcilicet tanto ardore appetere & eligere, illum renuere & averſari, penès cerebrum, rationis domicilium, ſolummodo eſſe videtur. Hinc Aetius lib. 3. cap. 20. Ventriculi appetitum, ſimplex expletionis deſiderium nominat. Eligere namque & dijudicare cibos, hunc vel illum, licèt pernicioſum & inſuetum, appetere, poſthabito & neglecto

 omni

omni periculo, non ventriculi, ſed cerebri vitio accidit. Hinc & pueri, qui mente & judicio nondum valent, ſimili ferè modo res non eſculentas ſaluberrimis cibis præferunt. Inordinatus itaque ille & præternaturalis mulierum, maximè verò prægnantium, appetitus, ſi non ex cerebro ſolo, à pravis & corruptis uteri exhalationis infeſtato, proficiſcitur; cum ventriculo ſaltem ipſum quoque cerebrum affici, ſuſpicandum; ut non minùs cerebro, quàm ventriculo, per accommodata remedia ſit proſpiciendum. Alia adhuc mihi in praxi mea occurrit nobilis puella utroque parente orba, Rachill Radford, quæ iiſdem tubulis arte plaſticâ conformatis, continuò maſticandis & devorandis, miro deſiderio efferebatur; curata tandem emetico, & pilulis quibuſdam chalybeatis, aliquandiu devoratis.

OBSERVATIO VII.

Mulier cum puero, aſſumpto caſu Arſenico, veneno infecti.

HOmo omnium animalium miſerrimus, utpote qui in vita ſemivivus anxium & languidum ſpiritum ægrè trahit, non ſecus

cus ac ſi imminentem perpetuò cervici gladium haberet. Imprimis verò immensâ morborum, in corpore genitorum, Phalange undique obvallatur, & quotidie oppugnatur; verùm etiam foris centenis ſubinde venenis patitur, & periclitatur. Non rarò enim homines per aliorum ſceleratorum veneficorum fraudulentam malitiam vitæ exitioſa devorant hauriúntque venena; ſed & ſæpe per propriam imprudentiam iiſdem è medio tolluntur. Quod accidit Saræ Way viduæ, ſexagenariæ, Dorcheſtriæ chirothecariâ victum quæritanti; quæ promptuarium perluſtrando incidit fortè fortuna in placentam farinaceam, ſaccharo atque arſenico gliribus occidendis ſubactam, & in furno piſtam; quam, veneni ſublatentis inſcia, ad ignem pro more toſtam zytho immerſit, & poſtea eandem bene inebriatam comedit, portiunculâ quadam nepotulo adſtanti ad comedendum exhibitâ; Zythum ipſum, in quo macerata erat placenta Arſenico venenata, avidè ſuperbibendo. Quid fit? Vix elapſo horulæ ſpatio, ſtomacho malè habere & angi uterque incipiunt; mox in vomitum enormem erumpunt, de non ferendis ventriculi & inteſtinorum torminibus conquerentes, faucium & gulæ ardore,

 æſtu

æſtu ac ſiti intolerabili, qua nec majori Tantalus apud inferos excruciabatur, miſerè preſſi & ſudoribus frigidis deflui. Patefactâ re, ità ut nullum remaneret dubium veneni admiſſi, in eo toti fuimus, ut vomitu, ſi forſan venenum adhuc in ventriculo hæreret, protinus ejiceretur, exhibitâ magnâ butyri copiâ in aqua, interdum etiam lacte ſolutâ, quo egregiè vomitus provocatus, & alvus quoque lenita; quod ſæpius repetitum. Urgentibus verò inteſtinorum mordicationibus enemata injecta, ex decocto malvæ, violariæ, ſeminibus lini, additâ mucilagine ſeminum Pſyllii, Caſſiæ pulpâ, oleo lini & violarum. Pro potu uſi ſunt lacte pro libitu. His adminiſtratis, puerulus rejecto veneno liberatus fuit, ut aliis remediis non fuerit opus; continuavit ſolùm lactis uſum, & pinguibus juſculis, nec non oryzâ in lacte coctâ famem repreſſit. Hujus verò Avia, cùm adhuc circa præcordia, ventre potiſſimùm & infra umbilicum intensè doleret, & magno faucium ardore, atque linguæ nigredine, ac fiſſuris premeretur, ſuſpicabar venenum adhuc in inteſtinis latitare; injecto itaque clyſtere, exhibui theriacam Venetam cum pulvere contrayervæ; quibus dolores plurimùm erant pacati, & indies

quoque

quoque propinavi oleum amygdalarum dulcium; quo ſe plurimùm alleviari dicebat. Pro potu verò continuabat lac vaccinum, & emulſionem quatuor ſeminum frigidorum majorum, cum decocto hordei, liquiritiæ, paſſulis & multâ malvâ paratam; Extrà verò ventrem inungendum curavi oleo nucum, omentum vervecis ſuperimponendo. Interim ad gulæ æſtum demulcendum, & linguæ ſcabritiem emendandam, uſa eſt mucilagine ſeminum cydoniorum cum lapidis prunellæ momento, & ſyrupo violarum; quem etiam per ſe crebrò aſſumpſit ad refrigerationem, humectationem, & lubricitatem membris internis inducendam, accommodatiſſimum. His ex artis lege adminiſtratis, doloribus lenitis, pro præſenti quidem mortem evaſit; ſed inductâ à veneno arſenicali exſiccatione & humiditatis extremâ conſumptione in corpore ſenili, miſeram egit vitam, omnibus membris contracta; donec biennio elapſo, macie conſumpta, ut non niſi drama figuræ ſupereſſet, ex hac miſeriarum valle ad meliorem vitam tranſmigraret.

OBSERVATIO VII.

Obeſitas lethalis.

NImia pinguedo non modò immaturam ſenectutem adfert, cùm fuerit cumulata copioſiſſimè, & enormi quantitate per univerſum corporis habitum ſparſa, verùm etiam repentinæ ſæpiùs mortis occaſionem præbet. Unde Hippocrates, Medicinæ parens, Qui naturâ, inquit, admodum craſſi ſunt, citiùs intereunt, quàm qui graciles. Nam cùm illis paucus ſit ſanguis & ſpiritus, citò ipſis vel minima de cauſa calor nativus extinguitur, unde mors, quæ nihil aliud, quàm caloris nativi extinctio. Exemplo ſit ſpectatiſſimus Vir, multâ mihi familiaritate junctus, D^nus^ Oniſephorus Toope, apud Dorcheſtrenſes Senatorii ordinis, in primo ſenio conſtitutus; Hic mercaturâ, in Gallias frequenter factâ, locupletatus, ex otio, & lautâ atque ſplendidâ victûs ratione, dum cibis optimis, perinde ac vinis fortibus & vinoſis utitur, quæ & multum & bonum ſanguinem generânt, accedente inſuper corporis, ſed vel maximè hepatis temperaturâ, illi

illi à natura contractâ, quæ eſſet aptiſſima ad congerendum plurimum boni ſucci, in eum devenit habitum, & tantâ pinguedinis ſarcinâ gravabatur, ut ægrè ſe movere poſſet, donec tandem viribus tanto pondere oneratis & oppreſſis, anguſtiâ & ſpirandi difficultate apprehenſus, nullo præter carnis & pinguedinis copiam alio in corpore apparente affectu, à ſomno expergefactus, (in quem erat pronus ob cerebri humiditatem; quemadmodum alia animalia obeſa, ut urſi, glires, & alia ſunt ſomnolenta. Hinc Martialis, *Dormitis nimiùm glires, vitulique Marini; Nil mirum, ſi vos craſſa Minerva premit*) animam ſubitò efflaret. Rectè itaque Averroes, Si corpus fuerit moderatè craſſum, inquit, virtutis nutritivæ fortitudinem, & vitæ ſignat elongationem; quoniam adeps eſt veluti ſuperfluitas proprii nutrimenti; quare natura ſagax ipſam non generat, niſi priùs membra ſingula reſtaurârit. Si tamen craſſities excedat, vitam minimè producit. Et Plinius, pinguia corpora citiùs ſeneſcere, ait. Et certè pinguedo muſculis adnaſcens inter venas & arterias, cùm multa eſt, adeò arctè conſtringit ſpiritûs & ſanguinis vaſa, ut libera difflatio plurimùm impediatur; unde calor inſitus obruitur

ruitur ac veluti ſuffocatur; imò crediderim, nimiâ pinguedinis humiditate nativum calorem obtundi, ac tandem extingui poſſe. Simile mihi alterum occurrit in praxi mea exemplum, in Nobiliſſimo Viro Dno Roberto Maller, armigero, qui & ipſe nimiâ pinguedine ſtrangulatus, in ipſo ætatis vigore vitam finiit; cujus corpore à morte humi proſtrato, venter altitudine ſuâ ferè ulnam adæquabat. Rectè itaque Galenus lib. 2. aph. comment. 43. Malus eſſe ſolet ad craſſitudinem exceſſus, quòd in iis anguſtæ ſint cùm arteriæ, tum venæ; atque ob id, qui craſſi ſunt, paucum omnino ſanguinem habent atque ſpiritum, adeò ut quum ætate proceſſerint, citò ipſis, vel parvam ob cauſam, calor nativus deſtruatur.

OBSERVATIO IX.

A quartana diuturna Scorbutus & Scotomia, &c.

ACcidit frequenter, ut febres Scorbuto conjungantur, ſicuti & quandoque in Scorbutum degenerant, qui poſtea magnam morborum & ſymptomatum graviſſimorum συνδρομὴν & farraginem introducit. Exemplo

plo ſit Reverendus Vir, Dnus Andreas Bromhall, Verbi Divini Maidennutonii, ſexto Dorcheſtriâ lapide diſſiti, Miniſter & præco ſolertiſſimus, ætatis ſuæ quadrageſimo circiter anno, calidæ conſtitutionis, quoad viſcera naturalia. Hic à quartana diuturna liberatus, conqueritur de diaphragmatis compreſſione, & anhelitûs difficultate, cordis palpitatione, metu & mœrore, mentis perturbatione, fugaci torpore, capitis algore, Scotomiâ imprimis moleſtâ, aurium tinnitu, auditûs gravitate, & ſubitâ vellicatione, cùm primus obrepit ſomnus. Et hæc ſunt ſymptomata, quorum tyrannide imo pectore ingemiſcebat hic Vir; in quo exuberabat humor melancholicus, à quo procedebant omnia, de quibus conquerebatur, mala. Hujus ſoboles eſt Scorbutus, quo laborabat, à ſanguine flatulento & tartareis fæcibus ſcatente, qui fermentum noxiæ admodum activitatis hinc indè diſſeminabat. Hoc fermentum quamdiu ſopitum jacet, minùs lædit; ſi per fermentationem intumeſcat, licèt non exundet extra centrum, attamen tetrâ anathymiaſi cor palpitatione percellit, in cerebro turbas excitat, & ipſam turbat mentem. Quando verò ſeſe inſinuat in nervos, præcluſo veluti ſpiritibus animalibus

animalibus aditu, vel ſaltem anguſtatis viis, ſenſum hebetat, illæſo motu; quem quoque impedit, niſi tempeſtivâ prophylaxi hoc præcaveatur; unde fugaces iſti torpores, melancholicis ordinarii, qui ut ſubitò evaneſcunt, ſic in momento recurrunt. Scotomiam aliquando iidem vapores, dum caput petunt, nec à natura liberè protrudi poſſunt, inducunt; tam ratione malignitatis cerebro noxiæ, ipſos ſtipantis; quàm luctæ, priuſquam ſibi exitum patrare poſſint. Unde non mirum, ſi, ſpiritibus in gyrum agitatis, admixtione vaporum inimicorum, vertigine corripiebatur; fugaci quidem, ſed non contemnendâ; cùm, ex ſententia ſummi dictatoris, melancholici facilè fiant epileptici; epilepſiâ autem raró corripiantur, ſine ejuſdem præludiis; maximè, cùm conquereretur, ſe quaſi ſubitò vellicari, cùm primus illi obrepit ſomnus. Caput præterea non modò ei frigebat, ſed & algebat; præſertim à ſutura coronali ad nucham & ultrà; quod acceptum ferendum naturæ ſibi conſulenti, dum ſtudet concoctioni in parte principe, ac proinde attrahenti calorem nativum ad cerebrum & meninges, ut hujus ſatagat operis, cujus abſentiam impreſſione quadam frigidi acceſſorii perſentiſcunt par-

partes externæ. Et quamvis querelæ iſtæ de aurium tinnitu, & auditûs gravitate, ortum quoque ducant tam ab imbecillitate caloris inſiti & influentis organorum oticorum, quàm à vaporibus capiti à ventriculo & liene potiſſimùm communicatis, & nervo otico tenaciter adhæreſcentibus; ibidem tamen condenſantur, influxum ſpiritûs animalis impediunt, cum manifeſta auditûs imminutione. Tandem circa veſperam noxias percipiebat mutationes cum metu, qui eum ſubitò percellebat; quod melancholiæ, ex Hippocratis ſententia, indubitatum ſtatuitur ſignum. Ut huic Viro, ſi Deō viſum fuerit, commodè mederer, Marti litandum duxi. Quippe in tali caſu, niſi obſtructiones tollantur, quæ in ipſo plurimæ erant; & debitæ craſi reſtituantur viſcera; curam haud ſucceſſuram judicavi. Huic indicationi etſi multa ex parte ſatisfacere poſſint, attamen quæ rem expedire queant, ſine illius permixtione, vix mihi perſuadere potui; cùm non paucos viderim, illius defectu, pharmaciâ potiùs obrutos, quàm ullum deſideratæ reſtitutum integritati. Methodum verò talem inſtitui: Et primò quidem, ad deferendas fæces alvinas, præſcripto eccoprotico eum purgavi. Sequenti die exhibui

ipſi

ipſi Apozema ex decocto foliorum Agrimoniæ, fumariæ, adianthi; florum borraginis. ſtœchados, epithymi; radicum Hellebori nigri; ſeminum fœniculi, aniſi. Hujus decoctionis aſſumpſit ℥iij. addito ſyrupo de Cichoreo, & fumaria comp. ana ℥j. & cremoris tartari ℈j. quo per triduum horis matutinis propinato, die quartâ injiciendum curavi Enema emolliens & carminans. Mox ſequenti aurorâ aggreſſus eſt diætam chalybeatam, quam ſic molitus ſum: ℞ *Extracti centaurii minoris & phillitidis ana* ℨjß. *acidi tartari chalybeati* ·℥j. *Corticum capparum, Winteranæ, fæculæ Aronis, pæoniæ, linguæ avis, ana* ℈ß. *Tartari vitriolati* ℨß. *Olei chymici abſynthii gut. vj. cum ſyrupo de fumaria comp. q. s. Miſce, fiat maſſa pilularum. Recipe hujus maſſæ* ℨß. *pilularum de tribus Fernel.* ℨij. *de hiera cum agarico, & imperialium ana* ℨj. *Miſce, fiant pilulæ.* Capiat ℨß ſingulis auroris cum hora una aut duabus moderati exercitii; quo exantlato bibere juſſi hauſtum cereviſiæ ſuccis antiſcorbuticis medicatæ. ℞ *etiam reſiduum maſſæ, & fiant pilulæ,* quarum cepit duas vel tres quartâ pomeridianâ cum ſimili regimine; continuando hoc ſtadium per quinque ſeptimanas. Interim duo emiſſaria, alterum brachio,

hio, alterum femori ſiniſtro imprimi curavimus. His ex præſcripto uſurpatis, meliùs habuit, à vertiginoſis circuitibus; & nuchæ frigiditate omnino liberatus: Unde collegi facilè, ſtadium martiale adeò uſque illi profuiſſe, ut minori vaporum copiâ ex hypochondriis ſurſum ad caput elevatorum jam tentaretur; cúmque vero ſit ſimile, quæ ſemel adminiſtrata juvant, ea ſæpius repetita ſanare poſſe; autor ipſi fui, ut primo autumno eundem curſum martialem reiteraret; in quem finem præparato eo Apozemate, in Vere præſcripto, propinavi ipſi Vinum martiale, mihi familiare, in juſta doſi longo tempore continuandum, & quarto quovis die blando dejectorio alvum ſubduxi. Præſcripſi quoque cereviſiam diæteticam, ex radicibus filicis fœminæ, cichorei, fumaria, borragine, lingua cervina, ceterach, corticibus tamariſci, fraxini, nuciſta, impregnandam ſuccis cochleariæ, barbareæ, & naſturtii aquatici. Tandem etiam cerebrum corroborare laboravi Electuario, ex ſpecificis cephalicis compoſito, conſervis ſcil. florum betonicæ, anthos, verbaſculi odorati, fæcula pæoniæ, caſtoreo, calamo aromatico, nuciſta condita, &c. cujus devoravit ℥ij. ſingulis noctibus. His omnibus non

inter-

interrupto filo continuatis, injunctâ ſimul accuratâ diætâ; convaluit quidem, ſed tamen vacillante valetudine uſus, pro more melancholicorum & ſcorbuticorum, cùm ejuſmodi mala in iis inſtar Lerneæ hydræ, curatâ unâ querelæ causâ, plerumque protrudant aliam debellandam; imò ex una eadémque cauſa frequenter admodum ſoboleſcant tam diverſarum naturarum ſymptomata, ut admirationi ſit aſſiſtentibus, grave languenti, & moleſtum medico. Supervixit annos ſeptem, & tandem naturæ ſatisfecit, Scorbuto ſuperatus.

OBSERVATIO X.

Vomitus ſanguinis cum membranacea quadam ſubſtantia.

SAnguinis vomitus, autore Avicennâ, ſemper eſt malus; & ratio eſt, quia ſanguis eſt vitæ theſaurus, & à quacunque parte exierit, per quam exire non debet, malus ſanè eſt, & potiſſimùm per vomitum; per quem non niſi magnâ violentiâ rejici poteſt, niſi in magna plenitudine contingat, & tum cum juvamento exire poteſt. Eſſe verò tantoperè malum, ſequens hiſtoria abunde

abunde declarat. Vir quidam admodum egenus, nec ullâ re, niſi liberorum copiâ, dives, Johannes Dally, Bedelius & flagellarius communis urbis Dorcheſtrenſis, inſuper etiam noctu obambulando tintinnabuli ſonitu horas indicans, quadragenarius, cùm ex officio nocte tenebrosâ per plateas oberraret, neſcio quo fato, lapſu infelici offendit ventriculi regionem ad lapidem ſatìs acutum, unde plurimùm dolere cœpit; dolore tamen, ut erat vir robuſtus, imminentium periculorum contemptor, neglectim habito, poſt dies aliquot, magnam ſanguinis copiam vomitu & per inferiora quoque rejecit, cum tuſſi, & febri, atque magna virium proſtratione. Huic ſanguis ex hepatica parcâ manu bis detractus; cùm vires largam minimè ferrent. Exhibita quoque aqua radicum urticæ, ſpiritu vitrioli modicè acida facta, & ſyrupo de ſucco portulacæ dulcorata, nec non Electuarium ex ſacchari roſati veteris ℥jß. Conſervæ ſymphyti ℥ß. Coralli rubri præparati ℈iiij. Maſtiches ʒß. & ſufficiente quantitate ſyrupi è roſis ſiccis paratum. Nec omiſſæ frictiones brachiorum & crurum, quæ & dolorificis ligaturis devinciebantur. Extrà verò parti dolenti fotum adhibui ex decocto florum abſyn-

thii ſicci, roſarum rubrarum aridarum, menthæ, myrtorum, cum cydonio malo, additâ maſtiche, vino rubro, & aquâ facto, ſuperimpoſitâ pulticulâ ex miva cydoniorum, aquâ roſaceâ & vino rubro coctâ; quibus ex artis lege adminiſtratis, ſanguinis vomitus ſuppreſſus; in quem tamen effluxo octiduo recidivam paſſus, unà cum plurimo ſanguine rejecit ſubſtantiam quandam membranaceam, farcimini nigro, ex ſanguine ſuillo confecto, ſimillimam, ſpithamæ longitudine, & trium digitorum craſſitie; intus materiâ picis inſtar nigrâ & fœtidiſſimâ ad ſummum infarctam, & paucas poſt horas vitæ finem fecit. Nempe unus eſt naſcendi, ſed mille moriendi modi. Simile nec ſcriptum me legiſſe memini, nec oculis unquam vidi contigiſſe.

OBSERVATIO XI.

Ventriculi dolor ex deglutito globulo plumbeo.

ETſi ſæpius *lapides, globulos, gemmas, nucleos fructuum, & ſimilia, ſine damno aut gravibus accidentibus, etiam in magna copia à quibuſdam deglutita legamus; attamen

men gravia interdum inducunt ſympto-mata; quemadmodum contigit Johanni Shanck, qui ſeptimanatim currum agebat inter Dorcheſtriam & Londinum, Angliæ Metropolin. Hic, neſcio qua de cauſa deglutito globulo plumbeo, incidit in non ferendos ventriculi dolores; & cum iis tanto angore & anxietate afficiebatur, ut ſeſe vix ullo loco continere potuerit. Ad hunc accerſitus, injecto enemate, lubricantia exhibui ex decocto malvæ & althææ, ſed imprimis oleum amygdalarum dulcium, quod ipſi plurimum profuit; atque his paucis globulus plumbeus ocyùs ex ventriculo per pylorum in inteſtina deſcendens, excretus, & æger à doloribus liberatus; quos indè eveniſſe puto, quòd globulus iſte nervo forſan incubuit,quos ventriculus à ſexto cerebri conjugio inſignes obtinuit.

OBSERVATIO XII.

Ex deglutitis tribus globulis aureis ventris dolor & obſtructio.

SImilis ferè priori obſervatio, ſed majoribus & graviſſimis accidentibus comitata, occurrit mihi in praxi mea in ſtrenuo ac

 nobiliſſimo

nobiliſſimo Viro, D^no^ Guilielmo Sidenham, in nuperrimis infelicibus Angliæ civilibus commotionibus Arcis Caresbrook, in inſula Vecti, Gubernatore; qui, cùm alii tunc temporis, neſcio quo petulanti more, lapillos crebrò deglutirent, quod nonnullis malè ceſſit, globulos ſibi tres aureos, unciam unam cum dimidia pendentes, arte fuſoriâ per aurifabrum paratos, curioſitate quadam, ſanus alioquin, devoravit; & effluxis horis aliquot de dolore ventris conqueri cœpit, in ſingulas horas ingraveſcente, ut tandem acutiſſimus & ſæviſſimus evaderet; qualem ne Titius quidem amator, cùm Vultures apud inferos jecur ejus divellerent, perpeſſus eſt; quem excepit vomitus bilioſus, porraceus, & æruginoſus; aſſumptis quibuſve mox per ſuperiora rejectis, cum alvi omnimoda obſtructione, ſingultu moleſto, accedente febri, & mirâ ventris pulſatione, inflammationibus familiari. Ad hunc tertio demum die ad quadraginta fere milliaria vocatus, qui ipſi multoties antehac medicinam facerem; conſideratis antè actis, ſtatim injecto clyſtere, cùm vires adhuc conſtarent, baſilicam aperiendam curavi, præſentibus inflammationis indiciis; ventrem oleo roſaceo, addito aceti momento, inunxi,

ſuper-

ſuperimpoſito cataplaſmate repellente, refrigerante & anodyno; inſtitutis quoque variis revulſionum generibus. Exhibui etiam emulſiones, & julapia; quæ tamen pleraque mox rejecit; & cùm vigiliæ urgerent, externa temporibus applicavi. Hæc & alia indies reiteravi, & enemata ex hordei cremore, refrigerantibus alterato, & aliis quibuſdam, ter in die & ſæpius injeci. Poſtea etiam ad reſolventia & lenientia acceſſi exteriùs applicata. Interna omnia per vomitum rejecit. His omnibus, parum aut nihil proficientibus, ultra quindecim dies adminiſtratis, tandem injectum enema ex olei ſeminis Lini recentis ℥x. Violacei & amygdalarum dulcium ana ℥j. ab eóque injecto, exhibitæ mox ℥v. olei amygdalarum dulcium; ventri verò impoſitum omentum vervecis oleo violarum & liliorum madefactum; quibus adhibitis, die decimo ſeptimo rejecit unum ex globulis aureis; & iiſdem remediis repetitis, alterum decimo octavo, & tertium decimo nono die, & ſic ceſſantibus ſymptomatis, ab imminente vitæ periculo liberatus, impoſterum tamen valetudinariam egit vitam.

OBSERVATIO XIII.

Globulus Plumbeus Vomitu rejectus.

VIR ſtrenuus, non minùs moribus, quàm militari virtute conſpicuus, Dnus Humfredus Biſhopp, in miſeranda nuperrima Angliæ inteſtina commotione mille peditum Regiorum Dux, mediocris ſtaturæ & habitûs carnoſi, ætatis conſiſtentis, in conflictu quodam, dum fortiter pugnaret, globulo plumbeo ex ſclopeto ignivomo minori, quo equites utuntur, ad colli latus ſylveſtre tranſverſim ad oppoſiti lateris cutem prolato, & indè poſtea exciſo, ictum excepit; neſcius omnino, ſe, impactis fiſtulæ ſclopetariæ duobus globulis, altero quoque percuſſum eodem ictu, unico ſaltem in conſpectum veniente vulnere. Effluxo integro anno & quod excedit ultrà, cùm antea ſanatus eſſet, corripitur febri tertianâ intermittente, Stipletonii in ædibus Reverendi Viri Dni Gilberti Ironſide, ejus loci tunc temporis Paſtoris vigilantiſſimi; ad quem vocatus, cùm in vomitum proclivis eſſet, ab Hippocrate monitus, dum quò natura vergit,

git,

git, eò ducendum eſſe docet, Emeticum exhibui ex radicibus Aſari pulveriſati, & polline Agarici, oxymelite ſquillitico permiſtis, adjecto tantillo Vitrioli albi purificati; quo egregiè operante, non ſine attonitu, unà cum febri tertiana ejecit alterum globulum plumbeum, quo inſcius fuit ictus; ubi autem hæſerit aut ſubſtiterit hactenus, æger nullo modo percipere potuit, nec in hunc uſque diem notum.

OBSERVATIO XIV.

Vomitus varius per menſtrua intervalla recurrens.

VOmitus variegatus ex multis & variis humoribus conſtans, malus judicatur, ex practicorum obſervatione. Significat enim plures difficiles in corpore affectiones, & varios in eo humores latitantes, quos arduum eſt concoquere & edomare. Difficile enim eſt pluribus inimicis reſiſtere, cùm, quod proverbio dicitur, Nè Hercules quidem contra duos. Tali longo tempore emacerata & admodum debilitata fuit Reverendi Viri Dni Georgii Hammon, ad Trinitatis in urbe Dorcheſtrenſi; Paſtoris fideliſſimi,

conjux, morum ſuavitate & virtutum decore cumulatè ornata, bono alioquin corporis habitu & compacto, optimóque temperamento prædita. Hæc per plures menſes circa plenilunium corripiebatur enormi vomitu, quo omnis generis bilioſam colluviem, tam vitellinæ, quàm porraceæ, viridis & æruginoſæ bilis, cum admixta pituita ſæpiùs in die, ídque magnâ copiâ rejiciebat. Continuabat autem vomitus per ſex, ſeptem, & plures dies, cum anguſtia, anorexia, & virium non contemnenda proſtratione. Cùm itaque hic vomitus per dies aliquot durare, & menſtruo intervallo recurrere ſit ſolitus; vero perquam ſimile eſt, in hac Matrona humores varios, viſcerum, in imi ventris repagulis contentorum, vitio genitos, tanquam ſupervacuos indè in Meſenterium, communem corporis ſentinam, tranſmiſſos, & novâ ſubinde acceſſione coacervatos, tandem in ventriculum regurgitâſſe; & diuturni vomitûs, per quem varii generis, pro diverſorum viſcerum conſtitutione & intemperie, excrementa purgabantur, cauſam fuiſſe. Vario remediorum apparatu hunc enormem vomitum compeſcere, & ægram ab eo vindicare laboravimus; ventriculum corroborando, ne humores iſtiuſmodi

modi tam promptè reciperet; meſenterii quoque & viſcerum intemperiem corrigendo, & obſtructiones reſerando, ne peccans materia tam facilè generaretur. Sed fruſtrà omnia, & reſiſtente Apolline. Tandem præſente plethorâ, tum quoad vaſa, tum & vires, admiſsâ phlebotomiâ, quam hactenus obſtinatè recuſavit, detraximus octo uncias ſanguinis ex hepatica, & hoc ſolo remedio, cæteris nihil prævalentibus, integrè Deo annuente reſtituta fuit.

OBSERVATIO XV.

Cholera curata.

TRes ſunt affectus perper-acuti ſine febre, qui niſi medicâ manu ſubleventur, interdum intra duos tréſve, interdum unico die jugulant, Apoplexia, Tetanus, & Cholera morbus; quibus ideo ſine mora conſulendum. Horum ultimâ correptus fuit, nullo alio prodromo morbo, Reverendus Vir, D^nus^ Johannes Chappell, Verbi Divini in Wareham præco laborioſiſſimus, triginta ſex annos natus, macilentus & raræ texturæ, conſtitutioneilioſus, pedeſtribus itineribus, quòd tenuis eſſet fortunæ, aſſuetus,

& in victûs ratione minùs cautus. Rejiciebat autem tum ſupernè, tum infernè intra viginti quatuor horas plus centies, magnam omnis generis bilioſorum aquoſorúmque humorum copiam, cum ſummo ventris & inteſtinorum dolore & torminibus, anguſtia, ſiti, & animi aliquoties defectione. In conſilium accitus ad duodecim milliarium diſtantiam altero ab invaſione die, adventu meo multùm eſt recreatus. Attuleram mecum julapium ex ſyrupo cydoniorum, granatorum & de mentha, cum Alkermes portiuncula, decocto hordei toſti dilutis, de quo ipſi hauſtum ſine mora propinavi, ad abſterſionem eorum, quæ ventriculum ad excretionem ſtimulabant, & virtutis quoque confortationem; injecto ſimul clyſtere ex decocto roſarum rubrarum ſiccarum, & radicum tormentillæ in juſculo macro, additis theriacæ recentis & diaſcordii ℥jß. & ovi vitello; quibus vomitus & alvi fluxus plurimùm fuit refrænatus, & æger refocillatus, ità ut rariùs dejiceret. Sub noctem verò devorandum præbui granum unum cum dimidio Laudani, viribus exhauſtis majorem doſin non admittentibus; atque eâ nocte placidè dormivit, cholera verò in totum ſedata. Nihilominus emplaſtrum de cruſta panis

panis ventriculo applicandum curavi, & ſimul Electuarium corroborans, ex conſerva roſarum, gelatina cydoniorum, conſerva borraginis, radicibus cichorei & myrobalanis conditis, adjectis ſpeciebus cordialibus, præſcripſi; atque injunctâ probâ victûs ratione, ægro ex orci faucibus, Deo auſpice, erepto, & ſanitati reſtituto, diſceſſi.

OBSERVATIO XVI.

Cholera ſive hypercatharſis ex aſſumptis pilulis.

CHoleram ex variis cauſis oriri, uno omnes ore confitentur Medici. Ità medicamenta acria in quibuſdam conſtitutionibus Choleram morbum procreant. Sic Galenus aph. 1. comment. lib. v. ex helleboro albo inſtar choleræ perturbationem fieri docet. Exemplo ſit uxor Dni Johannis Galpin, in pago maritimo Poſham comitatûs Dorcheſtrenſis Rectoris, conſtitutionis ſanguineo-bilioſæ, ætatis ſuæ annum agens viceſimum octavum. Hæc capitis doloribus miſerè emacerata, aſſumpto pilularum Rudii ſcrupulo, quæ Paracelſo potiùs tribuendæ, incidit in hypercatharſin ſeu choleram, quæ

magno

magno impetu ἄνω ϰ̓ κάτω, non ſine ventris & inteſtinorum cruciatu, plurimos humores; tandem etiam nigra & cruenta rejecit; accedente extremorum perfrigeratione, & in lipothymiam continuâ pronitate. Ad hanc accitus, cùm ex pulſu parvo & frequenti eam ſummè debilitatam, & ſpiritibus vacuatis vires plurimùm concidere perciperem, applicato ventriculi regioni fermento cum ſucco menthæ, abſynthii & aceto cocto, addito pulvere roſarum rubrarum, maſtiches & nucis moſchatæ, theriacam in clyſtere libenter inteſtinis injeciſſem; quem cùm mordicus recuſaret, inuncto ventre oleo cydoniorum & maſtichino, exhibui ei cochlear unum aquæ theriacalis, ut ſimul etiam imminentem lipothymiam prævenirem, ídque magno ægræ commodo, & perturbationis pacatione. Eſt enim purgatrix vis vehementior, Galeno teſte, media quædam potentia inter alimenta & venena, Naturæ, vaſa debilitando, oſcula laxando, mordicandóque, noxia, quibus aqua dicta reſiſtit. Quin & pharmaca ſuccos à peripheria ad centrum & interiora adducunt; Theriacæ autem vis ad cutem properat, & per eam corporis excrementa exigit. Sub ſomni horam devoravit bolum ex conſervæ roſarum ℥jß. Laudani

lani gr. jß. & confectionis Alkermes ſcrupulo compoſitum, quo aſſumpto, noctem placidè tranſegit, doloribus omnibus cum ipſa cholera pacatis. Nam Laudanum, præter vim anodynam, inſigni quoque diaphoreticâ facultate pollet, ídque vi & ἐνεργείᾳ propriâ, non accidentariâ, unde humores noxios è ſecretioribus & profundioribus corporis latebris provocari, & per cutis ſpiracula extra corpus eliminari contigit, imò abſque opio eſſet, Theriaca vix tantos effectus produceret.

OBSERVATIO XVII.

Dyſenteria totius ventris à contagio lethalis.

DYſenteria, quam Latini tormina & inteſtinorum difficultatem nominant, non tantùm gravis & periculoſus eſt morbus, ſed & contagioſus, atque Epidemicè ut plurimùm in quamvis ætatem, ſed juvenilem maximè graſſans; periculoſior tamen, & curatu obſtinatior in mulierculis, pueris, & ſenibus; in illis quidem ob eorum mollitiem & humiditatem; in his verò ob caloris nativi debilitatem, & cauſæ magnitudinem. Quoad partem affectam, alia com-

muniter

muniter à practicis ſtatuitur tenuium, alia craſſorum inteſtinorum, interdum tamen utraque ſimul afficiuntur, id quod gravius & periculi plenum; maximè, ſi merus ſanguis effundatur. Exemplo ſit ancilla mea, honeſto loco nata, etſi tenuis fortunæ, Jana Guppy, viginti ſeptem circiter annorum, boni alioquin habitûs, temperamento calido & humido prædita, quæ rus profecta, conſanguineam viſitatura, quæ dyſenteriâ, publicè tunc temporis ſæviente, graviſſimè laborabat, & ab eadem etiam poſtea jugulata, vitæ finem fecit; admiſſo contagio pauciſſimis diebus elapſis à reditu, in eundem incidit morbum, quo merum ſanguinem, nullis fæcibus admiſtum, in magna copia rejiciebat; ídque tanto impetu, ut intra triginta horarum ſpatium plus centies alvum dejiceret; antecedentibus & conſequentibus tantis & non ferendis torminibus, ut ejulatu & clamore ejus tota domus perſonaret; accedente ſiti inexhauſtâ, jectigatione continuâ, vigiliis, & crebris lipothymiis. Huic ego pro virili in tanto diſcrimine mederi conatus ſum, enematibus ex decocto hordei cum ſeminibus plantaginis, ſaccharo Thomæo & vitellis ovorum paratis, poſtea etiam aliis adjectis; ventri

toti

toti impoſui telam aranearum cum albumine ovi in oleo cydoniorum frixam, interna omnia, ventriculo cum inteſtinis compatiente, illico rejecit; nec quicquam in eum admittere potuit, ne lac quidem coctum cum aqua portulacæ & plantaginis; imò nec Laudanum cum ſyrupo cydoniorum ſolutum, ſub noctem exhibitum, & alia complura, ſed fruſtrà omnia, quin tandem poſt noctis unius & duorum dierum ſummos dolores perpeſſos, Parcis inexorabilibus, ſingultibus præcedentibus & lipothymiis crebris exhauſta, ex hac miſeriarum valle in cœleſtem patriam trânſmigraret. In hac miſella veriſimile eſt humores per contagium dyſentericum infectos, & in venas & arterias non ſine malignitate penetrantes, fermentatione quadam ſimilem ſibi diſpoſitionem toti maſſæ ſanguineæ impreſſiſſe, unde ad inteſtina delati, quibus peculiariter & occultâ qualitate offenſi, venarum meſaraicarum oſcula reſerando, fluxûs ſanguinolenti cauſa extiterunt.

OBSER-

OBSERVATIO XVIII.

Dyſenteria tenuium inteſtinorum lethalis.

EOdem tempore Nepotula mea dulciſſima, Maria, D^ni^ Johannis Buſhrodi filiola, ejus nominis ſecunda, priori, de qua ſuprà, demortuâ, bimula, in qua in ipſa infantia præter ætatem præclara indoles & rara gratiæ divinæ emicabant ſpecimina, rariſſimæ & tenerrimæ texturæ puella, correpta fuit dyſenteriâ graviſſimâ ſuperiorum & tenuium inteſtinorum. Erat enim querula de altioris ventris dolore & torſione acutiſſima, quaſi aciculis compungeretur, cum crebra dejectione cruoris cum univerſis excrementis, nunc porri colorem referentibus, quod peſſimum judicatur à practicis, nunc variis & mucoſis, ramentis tenuioribus refertis, permiſti; accedente teneſmo & continuâ deſidendi cupiditate, febri, inquietudine, ſiti maximâ, & vigiliis continuis. Hanc, cùm mihi chariſſima eſſet, amoris quodam impulſu, quâ potui, arte & diligentiâ ſummâ tractare conatus ſum; quòd eam periculoſiſſimo affectu preſſam in ſummo

mo vitæ diſcrimine verſari perciperem. Sumus enim in noſtros, rebus exigentibus, Naturæ lege, quàm alios, officioſi magìs & attenti. Mox itaque injecto clyſtere abſtergente, ex decocto hordei cum ſeminibus plantaginis, & conſerva roſarum, addito ovi vitello; ſequenti die, præſcripſi ſyrupum roſarum ſolutivarum cum Rhabarbaro, qui in officinis proſtat, additis Rhei, aquâ Plantaginis irrorati granis decem, cujus portiunculam vomitu rejecit, reliquo tamen leniter purgata eſt. Interim crebrò aſſumpſit ſyrupum corallorum ſimplicem; & ſomni horâ julapium ex ſyrupo papaveris & myrtino, aquâ Papaveris rheados & plantaginis dilutis, adjecto confectionis Alkermes ſcrupulo. Extrà verò temporibus adhibitum fuit unguentum populeum cum granis aliquot Laudani permiſtum; & ventri impoſitus Zyrbus agninus, ex agno recentiſſimè mactato extractus, cum actuali ſua caliditate, præmiſsâ inunctione ventris cum oleo maſtichino, cotoneo, & myrtino. Ad virium præſervationem aſſumpſit emulſionem perlatam, & pro potu emulſionem amygdalarum dulcium & ſeminum frigidorum majorum cum decocto ſeminum plantaginis in aqua hordei. Sequenti die

omnia graviora, nihilominus perſiſtendum judicavi in præſcriptis. A meridie tamen injectum enema ex decocto omaſorum, cum ſeminibus Plantaginis, additis ovorum vitellis & pinguedine caſtrati, ad inteſtinorum defenſionem; & pro potu ordinavi decoctum Pantaleonis; & ad dolores demulcendos aſſumpſit ſæpiùs oleum amygdalarum dulcium recens cum ſaccharo, aquâ Plantaginis ſoluto & ad juſtam conſiſtentiam cocto, permiſtum. Horâ ſomni exhibui ſpecies de hyacintho & liberantis, addito pulvere oſſium, ſuperbibendo emulſionem hypnoticam ex ſeminibus papaveris albi. Nox ſubſecuta admodum inquieta cum crebris dejectionibus. Tertio die videbatur admodum debilitata, & doloribus adeò erat macerata, ut uno loco diu perſiſtere non potuerit, ab uno ad alium pro alleviatione confugiendo; tandem graviſſimis motibus convulſivis apprehenſa, rebus humanis in ipſa infantia exempta, morte præmaturâ magnum ſui deſiderium omnibus, & parentibus dolorem omnino reliquit maximum.

OBSER-

OBSERVATIO XIX.

Dyſenteria craſſorum inteſtinorum curata.

HAud longo pòſt tempore Nepotulus meus, cujus ſuprà mentionem feci, novem annorum puerulus, eodem morbo apprehenſus eſt, humilioribus & craſſis inteſtinis affectis. Conquerebatur enim de torminibus infra umbilicum juxta coli ductum, minùs vehementibus, & breviori tempore perſeverantibus, & à cruciatu ſtatim aſſellabat, excretis cum excrementis mucoſis majoribus ramentis, & pinguibus quibuſdam ſupernatantibus, atque iis extrà adhærente cruore, unde eroſionem in inteſtinis inferioribus factam eſſe, conjecturam feci. Cùm itaque per anum injectis potiùs quàm ore aſſumendis curam auſpicandam putarem, injiciendum primò curavi clyſterem ex lacte cum mucilagine ſeminum cydoniorum & plantaginis, & vitellis ovorum duorum ad leniendum, & dolores mitigandos, quo ſe plurimùm alleviatum teſtabatur; poſtea etiam, tormentillam, equiſetum & roſas, cum juſculo vervecino coctas & colatas, adjecto

ſevo vervecino, & vitellis ovorum. Internè verò, manè & veſperi circa quartam, propinavi decoctum omaſorum cum drachma dimidia trageæ granorum actes, inſigni ſanè commodo. Pro potu uſus eſt lacte vaccino uſtulato, in quo ſemina Plantaginis decocta erant. Interdum etiam permutationis gratiâ bibit de ſequenti Julapio, ℞ *Hordei mundi Miiij. ſeminum acetoſæ, Plantaginis ana ʒß. raſuræ Cornu cervi ℥ß. Decoquantur in ℔iiij. aquæ ad tertiæ partis conſumptionem, colatura trajiciatur per manicam Hippocratis cum ℥iij. conſervæ roſarum veteris, addendo ſyrupi de agreſta & cydoniorum ana ℥j.* Urgentibus vigiliis aſſumpſit ſyrupum de papavere albo, adjectâ tertiâ parte Mivæ cydoniorum, aquâ papaveris & lactucæ permixtâ. Ventri verò applicandum curavi ſacculum ex foliorum & florum verbaſci Miij. florum Camomillæ Mij. roſarum rubrarum ſiccarum Mj. Radicum Tormentillæ ʒv. ſeminum lapathi acuti ℥j. & pentaphylli Mjß. compoſitum, quem in aqua chalybeata & vino rubro coctum ventri admovit; radicem verò Pſeudoirridis collo appenſam geſtavit. Quibus per ſeptimanam continuatis, à Dyſenteria, Deo adjuvante, liberatus, indies convaluit. Sit honor, laus &

gloria ſummo Archiatro, penès quem eſt vitæ necíſque poteſtas.

OBSERVATIO XX.

A Quartana diuturna, Colica graviſſima, cum vomitu & ſingultu moleſtiſſimo.

HAud rara eſt febrium diuturnarum in Colicam μετάστασις; præſertim ſi febris non tractetur ex artis lege, aut debitæ corporis evacuationes negligantur. Ità morum ſuavitate & modeſtiâ valde amabili ornatus Vir, D^nus Johannes Perkinſon Wykes, claro genere natus, ſtaturæ mediæ, ſed brevioris, boni corporis habitûs, temperamento bilioſo, annos ætatis numerans viginti ſeptem circiter, cùm autumnali tempore variis febribus epidemicè graſſantibus & ipſe correptus eſſet quartanâ, eâ, viribus ſuis confidendo, neglectim habitâ, & ſpretis convenientibus & debitis evacuationibus, incidit tandem in colicam graviſſimam, qualis Scorbuticos ſæpiſſimè & quidem admodum graviter affligere ſolet, cum vomitu, accedente ſingultu ferè continuo, admodum moleſto; ſed febris remiſſione; febrili ſcil. materiâ per imperfectam criſin ad inteſtina

 delatâ,

delatâ, & tantas in iis turbas excitante, in Viro præſertim juvene, in victu plurimùm delinquente, & pro more comeſſationibus dedito. Ad hunc accitus, ut ipſi in tantis támque crudelibus torminibus operam meam locarem; ſtatim & primo loco alvum enemate abſtergente, ex decocto hordei, addito melle roſaceo ſaccharo rubro & ovi vitello, eluendam curavi; injecto poſtea quoque leniente magìs & anodyno, atque inteſtina ab humorum acrimonia defendente, ex lacte calido cum ſaccharo. Per os verò propinavi oleum ex amygdalis dulcibus recenter ſine igne expreſſum, cum aqua florum camomillæ permiſtum. Ventrem interim fovi decocto florum camomillæ Miij. meliloti, anethi anaMjß. malvarum, althææ, parietariæ ana Mj. ſeminum çarui ℥vj. cymini ℥ij. cum aqua & vino facto. A fotu inunxit ventrem oleo anethino & amygdalino, omento vervecino ſuperimpoſito. Mitigato aliquantulum dolore, exhibui ei, ad minuendam humorum ſaburram, expreſſum Rhei in aqua cichorei, addito ſyrupo diaſereos & cremoris tartari momento. Retinuit hanc potiunculam per horulam, rejectâ tunc maximâ ejus parte, cum porraceis plurimis per ſuperiora; alvus tamen, alio-

quin ſegnior, ter vel quater ab ea commota cum magno levamine. Interim per intervalla crebriora, bis vel ter quandoque in die injectus clyſter emolliens & humorum acrimoniam temperans; adjectâ etiam infuſione croci metallorum, & oleo nucum, cùm omnia ferè per os ſumpta rejiceret. Vigiliis urgentibus alternis noctibus aſſumpſit granum Laudani per duas vices, rariùs enim exhibendum duxi, ne materia ab eo altiùs impingeretur, etſi ægro pro tempore ſatisfaceret. Ad ſingultum tandem ſupervenientem, & continuò moleſtantem, uſus eſt julapio Foreſti, & decocto ſeminum anethi. His per decem dies continuatis, dolores remittebant, vomitus quoque & ſingultus ceſſabant; ne recidivam pateretur, exhibui ei Mercurii dulcis grana duodecim, cum Electuarii Diaphænici ℥jß. permiſta, boli formâ, ſuperbibendo juſculum; quo egregiè fuit purgatus & in quatuordecim diebus à colica omnino liberatus eſt; donec biennio elapſo, à febri eodem ferè modo correptus, præter omnium ſpem, in comitatu Hamptoniano vitam cum morte in ipſo juventutis flore permutaret.

OBSERVATIO XXI.

Colica bilioſa cum ſingultu à febri tertiana notha.

EVenit ſæpe, ut filii, qui à parentum probitate degenerant, ipſis longè deteriores evadant. Hoc ipſum frequenter in febribus, ex bilis putredine ortis, uſu venire ſolet, quarum ſymptomata ſunt febribus ipſis longè ſæviora. Hoc contigit Reverendo D^no^ Johanni Tylero, Stinsfordiæ, in Dorcheſtria vicinia, Paſtori laborioſiſſimo, juveni, Viro nativâ bonitate & candore, atque ingenio præclaro ad quævis capeſſenda à ſummo rerum Conditore egregiè ornato, annos viginti ſeptem præter propter nato, ſtaturâ mediocri, & optimo alioquin corporis habitu & temperamento ſanguineo-melancholico prædito. Hic cùm aliquandiu tertianâ nothâ exuſtus langueret, etſi aliquoties, præparatis priùs ex artis lege humoribus, purgatus eſſet; tandem tamen humoribus acribus & mordacibus è meſenterio in inteſtinorum tunicas membranaceas & vaſa eorum effuſis, cùm, propter obſtructiones, ad vias communes protrudi non poſ-

ſcat,

ſent, Colicâ, quam vocant bilioſam, correptus eſt acerbiſſimâ, vellicando & pungendo adeò ſæviente, ut febrem, tanquam leviorem, & minori tyrannide excruciantem, toto pectore reducem exoptaret. Urgebant ſitis & vigiliæ. Alvus officio ſuo non fungebatur. Ventriculus conſortii lege affectus, bilioſa, rariùs tamen eructabat. Acceſſit tandem ſingultus, humorum acrium & bilioſorum, ventriculum & imprimis orificium ejus vellicantium, genuina ſoboles. Ab his crudelibus & non ferendis dolorum tormentis, ut æger, mihi amantiſſimus, ſi fieri poſſit, bonis avibus liberaretur, injecti ſunt frequenter varii clyſteres, abſtergentes, anodyni, & acrimoniam humorum temperantes; quales erant lacticini, & qui conficiebantur ex radicum althææ & liliorum alborum ana ℥ß. Herbarum malvæ, parietariæ, violariæ ana Mj. Seminum lini & fænugræci ana ℥ß. foliorum ſenæ ʒiij. in ſ. q. aquæ ad ℔j. coctis. In colatura diſſolvebantur Caſſiæ extractæ pro clyſtere & benedictæ laxativæ ana ʒv. Olei camomillæ, ſacchari rubri ana ℥ß. & ſalis momentum, invicem probè permiſtis. His alvus quidem aperta, ſed mox iterum obſtruebatur; juſſi itaque ut ſyrupi roſacei ſolutivi ℥ijß. ex hauſtu ſeri

lacti-

lactis aſſumeret; à quo alvus quinquies vel ſexies exonerata, cum εὐφορίᾳ & doloris quadam remiſſione; qui tamen recrudeſcebat ſub veſperam; cui demulcendo propinavi decoctum florum camomillæ, nec non oleum amygdalarum dulcium recenter ſine igne expreſſum; humectatione ſuâ, præter vim anodynam, inteſtina tenſa & ſicca laxans, non ſine ægri commodo & dolorum alleviatione. Ad ſomnum verò conciliandum, ne vires dolorum carnificinâ, & perpetuis vigiliis exolverentur, ſub lecti introitum, nunc emulſionem ſeminum papaveris albi & lactucæ; nunc etiam, ſed rariùs Laudanum, & alia aſſumpſit. Interim & topica eáque varia adhibita, & viribus per cordialia proſpectum. Pro potu verò uſus eſt ptiſanâ, & emulſione amygdalarum, & ſeminum quatuor frigidorum majorum; & pro victu, hordeato, panatellâ, prunis damaſcenis, & ejus farinæ aliis. Tandem cùm dolores nondum ſopiti eſſent, aſſumptis Mannæ in juſculo ſolutæ ℥ij. cum olei amygdalarum pari quantitate, à colica liberatus indies convaluit. Ne tamen recidivam pateretur, quæ radice ſuâ pejor eſſe ſolet, ut in hoc affectu fieri amat; ordinatum fuit Apozema deobſtruens, ſimul & laxans. Jámque omnia

nia in vado eſſe putavimus, cùm ecce, efluxo ferè menſis ſpatio, cucumerum, muriâ aſſervatorum, eſu, in eandem colicam, ſed crudeliorem relabitur, accedente ſingultu moleſtiſſimo, & febri de novo claſſicum canente. Exhibito igitur enemate emolliente & refrigerante, evacuationem tentavimus infuſo Rhei cum Manna; quo ſegniùs operante, præſcripſi bolum ex confectione hamech cum Mercurio dulci, in quo practici certam hujus mali atrocis curationem ponunt; quo licèt plenâ doſi exhibito, alvus ſemel tantùm commota; unde injecto enemate egregiè poſtea dejecit, & meliùs habere videbatur. Placuit idem remedium denuo experiri, ſed ſine ſucceſſu. Injiciendum itaque curavi clyſterem ſatìs fortem ex camomillæ totius Mij. Hyperici, Centaurii minoris ana Mß. florum meliloti, ſambuci ana pjß. ſeminum aniſi, cumini ana ʒij. fænugræci & lini ana ℥ß. in ſero lactis decoctis, in colaturæ ℔j. diſſolvendo Elect. Diacatholici & Lenitivi ana ʒvj. infuſionis Croci metallorum ℥j. Mellis Mercurialis & ſacchari rubri ana ℥jß. olei nucum ℥ij. M. fiat Enema, quo mirum quantam bilioſorum humorum copiam rejecerit, cum maxima dolorum alleviatione; eóque

repetito,

repetito, planè liberatus eſt. Ad ſingultum compeſcendum bibit Julapium Foreſti, ſæpius à me expertum, & decoctum ſeminum anethi; & à paroxyſmo febrili adhuc moleſtante vindicatus eſt hauſtu ſudorifico Crollii; & nunc vivit vegetus, & rerum ſuarum ſatagens. Deo ſit gloria.

OBSERVATIO XXII.

A Colica bilioſa manuum pedúmque contractio.

COlica ab inteſtino colo, quod obſidet, nomen ſortita, vel à flatu, vel ab humoribus tum frigidis, tum calidis, natales ortus derivat. Hoc loco exemplum proponam illius colicæ, quæ à cauſa calida, bile ſcil. ſive humoribus acribus & pungitivis ortûs ſui primordia duxit. Vir quidam honeſtus & probus, etſi tenui fortunâ inſtructus, Thomas Adams, Villicus & agriculturâ victum quæritans, in vicinia Waymouth habitans, mediæ ſtaturæ & habitûs, quoad viſcera naturalia calidus, ætatis conſiſtentis, patiebatur atroces & pungitivos totius ferè abdominis dolores, cum febri lenta, ſiti, & vigiliis, atque alvi obſtructione; acceden-

te

te tandem manuum pedúmque contracti-one ; ut neuter officium ſuum facere potue-rit ; totum verò corpus atrophiâ marceſce-ret. In hoc Viro bilis, in ventriculo & he-pate genita, defluere videbatur in pancreas, atque hinc in meſenterium & inteſtinorum tunicas amandari, quas penitus imbuebat, & tartareo ſalinóve acumine continuò lan-cinabat, & horrendos ciebat cruciatus. Hic ichor naturæ vi, ad inteſtinum hoſtem ex-pellendum inſurgentis, per continuitatem membranarum meſenterii in ſpinæ nervos ſeu potiùs muſculos rejectus, quatenus erat tum *ἀνάῤῥοπος*, tum & *κατάῤῥοπος*, partes ſu-periores, tum inferiores contrahebat. Erat autem humor iſte præcalidus ; quem etſi pituitoſa colluvies comitaretur, non tamen in iſta blenna & flatibus tumultuantibus, quaſi traherent à qualitate frigida originem, quærenda mali natura, ſed in ſpiritibus ig-neis, qui diverſimodè invicem occurrentes atque mixti, ſæviorem excitabant tempe-ſtatem, quàm inertes flatus, quos calor de-bilis, agens in materiam viſcidam, movere ſolet. Curationis hic erat ordo paucis abſo-lutus. Injiciebantur clyſteres, ſæviente do-lorum carnificinâ, etiam acres cum colo-cynthide. Profuerunt maximè, qui ex vino

canarino

canarino & oleo juglandium recenter expreſſo, additâ infuſione croci metallorum conſtabant; interdum ex lacte parati. Poſtea etiam purgatus fuit ex infuſo ʒij. Rhei, additis Mannæ granatæ ʒij. Quod etſi operationem ſuam copiosè perficeret, attamen non optatum ſortiebatur effectum, ideóque elapſo die idem repetitum, à quo cùm dolorum ſævitia quodammodo fracta, licèt non penitus attrita eſſet, nihil cunctando ad ſacram anchoram deveni, Mercurium videlicet ſublimatum dulcem, in quo totius & certæ curationis cardo verſatur; quo cum pilulis cochiis minoribus permiſto, plurima dejecit bilioſa, pituitæ permiſta, cum omnimoda dolorum evaneſcentia, reſtante ſaltem extremorum contractione. Ad reliquias igitur everrendas, & viſcerum intemperiem corrigendam, bibit primò aquas minerales purgantes, Ebeſhamenſes, ſale nitroſo turgentes; deinde etiam urinas ducentes, vitriolatas, quales in ericeto Mordonienſi hujus comitatûs Dorcheſtrenſis ſcaturiunt; quibus longo tempore ex artis lege cum debitis cautelis hauſtis, ad debilitatem in membris & nervoſo genere reſtantem, uſus eſt temperatiſſimis ſudorificis; eadem galbaneto, in eum finem

parato,

parato, bis in die inungendo; quibus adhibitis, Deo auſpice, tum manibus pedibúſque, cum integræ ſanitati fuit reſtitutus; cui ſit honos, gloria, & perennis gratiarum actio in omne ævum.

OBSERVATIO XXIII.

Ventris dolor ſcorbuticus, colicam bilioſam æmulans, cum vomitu enormi; ſupervenientibus convulſionibus, lethalis.

FAmiliares ſunt ſcorbuticis ventris dolores, ut vel indè ſcorbutus, barbarè ſic dictus, in regionibus ſeptentrionalibus, quibus endemius eſt & vernaculus, nomen acceperit. Tantis autem & tam crudelibus torminibus ventrem per intervalla, nunc breviora, nunc longiora lancinare ſolet, ut divelli ſibi & dilacerari omnia, exclament ægri; & præ doloris tyrannide, quò ſe vertant, ſint neſcii. Hoc accidit omni virtutum decore inſigniter ornatæ Matronæ, Franciſcæ Wade, D^ni^ Guilielmi Wade, Mercatoris Dorcheſtrenſis, & Senatorii ordinis, conjugi lectiſſimæ, ætatem conſiſtentem egreſſæ, obeſo admodum corpore, ut minùs exercitiis vacaret, victui etiam pleno aſſue-

tæ,

tæ, atque in eo minùs cautæ, ut ſolent mulierculæ, appetitui potiùs, quàm rectæ rationi auſcultantes. Hæc, proh dolor! meliori fortunâ digna, ſcorbuticâ cachexiâ inquinata, incidit in horrendas & non ferendas per menſtrua ſpatia ventris lancinationes, ut non aliud doloris ferè remedium miſella, quàm mortem, ſuſpicaretur; maximè, cùm in Paroxyſmis enormibus, & continuis vomitionibus, tum bilioſis, tum porraceis, premeretur; nec quicquam ingeſtorum in ventriculo retineret, alvo obturatâ nihil per ſedes rejiceret. Solebant autem paroxyſmi per quinque ſéxve dies continuare, nullâ vel ſaltem exiguâ febri præſente, catameniis interim ex naturæ lege procedentibus. In hoc ſubjecto veriſimile eſt, humores acres & corruptos per venas meſaraicas, quæ in inteſtina non hiant, inter duas inteſtinorum tunicas effuſos fuiſſe, unde cùm exitum non invenerint, quid mirum, ſi dolores iſti diuturni fuerint, & per intervalla redierint. In paroxyſmo, hunc inquilinum hoſtem oppugnavimus crebris clyſteribus emollientibus & anodynis, etiam ex ſolis oleis paratis, & topicis variis, cùm internorum non eſſet capax, & pleraque mox rejiceret; ut metuerem, ne dolores
iſtiuſmodi

iſtiuſmodi in iliacos degenerarent. Extra paroxyſmum, curam leni emetico auſpicavi, à quo exhibui Mercurii dulcis ℈j. pilulis Rudii permiſtum, à quo aſſumpto egregiè fuit purgata. Et ad obſtructiones reſerandas, quæ tum meſenterium, tum pancreas, & præcipuè lienem obſidebant, Apozemate præſcripto per quatuor dies uſa eſt. Sed recruduit malum poſt tres ſeptimanas, cui obviàm ivimus eâdem methodo, adjectis nonnullis aliis. Pacato paroxyſmo, Londinum profecta eſt, ut aquis fontis Ebeſhamenſis à prædominio nitroſis, & ab iis, vitriolatis Tonbrigenſibus bibendis indulgeret, & viſcera ſtrenuè & diu perlueret; & ſimul etiam Medicorum, in arte Medica experientiſſimorum, conſilio & operâ uteretur. Quò cùm perveniſſet proſpero itinere, paucis elapſis diebus, & vix ſalutatis amicis, quorum plurimos eo loci habebat, recidivam patitur in eoſdem dolores, colicæ bilioſæ æmulos, ſupervenientibus mox convulſivis motibus, epilepticorum æmulis; quibus miſella tandem ſeptimanæ ſpatio enecata; proculdubio humoribus,exitum denegatis,in caput metaſtaſi quadam raptis, & convulſionibus, epilepticarum ſimilibus, procreandis,occaſionem præbentibus.

OBSERVATIO XXIV.

Arenulæ & hæmorrhoides cum commodo per aliquot annos fluentes, quibus ſubſiſtentibus ſubſecuta Arthritis.

QUoniam ſub Lunæ concavo vix ullum reperitur corpus perfectâ & integrâ omnino ſanitate utens,ſed pleraque corpora culpam crimenque aliquod admittunt ; Natura, rebus ſuis conſulens, ut ſui ſemper eſt conſervatrix, talem invenit excrementitii humoris ſalutarem viam, cùm aduſti mordacéſque in corpore exundârint humores, quibus venarum oſcula reſerantur, ut dum, ob Lienis obſtructionem, vel aliis de cauſis, melancholicus ſanguis expurgari nequit, hæmorrhoidalis rami beneficio excerneretur. Hic internas & occultas hæmorrhoidas parit, ut hypogaſtricus deſcendentis cavæ ramus externas. Per illas evacuatur cacochymia, per has plethora depletur. Hinc hæmorrhoides moderatè & convenienti tempore fluentes, à multis morbis hominem præſervant, & à præſentibus liberant ; ut pluribus in locis docet venerandus noſter è

Coo ſenex. Sic nobiliſſima Heroina D^na^ Maria, nobiliſſimi juxtà & humaniſſimi Viri, D^ni^ Roberti Coker, Armigeri, conjux, ut moribus, ſic virtute inſignis, florente ætate, quoad viſcera naturalia calidæ & humidæ conſtitutionis, otio & vitæ ſedentariæ dedita, conquerebatur de arenulis copioſiſſimis, quas continuò per veſicam fundebat, & fluore albo admodum moleſto; quibus malis generandis, præter vim in renibus λιθοποιητικὴν vitæ ratio otioſa & κακόχυμον corpus ſatis eſſe potuerunt. Nec enim leve ſignum eſt plethoræ cacochymæ fluor albus. Ad hanc nobiliſſimam Heroinam vocatus, ut ei operam meam medicam locarem; in eo totus fui, ut univerſaliter depleto corpore, habito æſtivæ tempeſtatis reſpectu, particulatim urinæ viæ ſedulò everrerentur; atque apertâ viâ regiâ, quæ ſeroſam corporis colluviem ſolet excipere, fieret ab utero derivatio ichoris, qui fluorem producebat muliebrem; ut valde familiare Angliæ fœminis, ſic importunum valde, & tenax, atque curatu difficile ſymptoma. Primò itaque Enema ei præſcripſi ex decocti emollientis & refrigerantis pro clyſtere ℔j. Electuarii lenitivi ℥j. Mellis violarum, & ſacchari albi ana ℥jß. Miſce, fiat Enema, quod

ſub noctem injiciebatur. Sequenti die aſſumpſit potiunculam, ℞ *Radicum Cichorii, Taraxaci ana* ℥ß. *florum borraginis, bugloſſi, violarum ana p.j. glycyrrhizæ, ſeminum Coriandri ana* ʒß. *pulpæ tamarindorum, & foliorum ſenæ ana* ℥ß. *Cremoris tartari* ℈ij. *fiat omnium decoctio, & colatura; in qua infunde per noctem Caſſiæ recenter è Canna extractæ* ℥ij. *Manè poſt levem ebullitionem fiat colatura, in qua, ad mediocrem doſin reducta, diſſolve ſyrupi magiſtralis ad melancholiam & Mannæ ana* ℥j. *Miſce, fiat potio, aſſumenda in aurora, horis quatuor ante juſculum, cum debita cuſtodia.* Hac cum εὐφορία operante, poſtridie purgationis ex baſilica dextra detractæ ſunt ſanguinis ℥vij. Mox à purgatione interjecto die, pro quatuor vicibus aſſumpſit ſingulis matutinis ſequens Apozema. ℞ *Radicum polypodii q. althææ, liquiritiæ ana* ℥ß. *radic. petroſelini, graminis ana* ʒij. *Herb. capillorum Veneris, veronicæ ana Mj. agrimoniæ, betonicæ ana Mß. Seminum carthami, fœniculi ana* ʒj. *Coquantur in aqua communi; in colatura infunde foliorum ſenæ* ℥j. *Rhabarbari* ʒij. *Agarici trochiſcati* ℈iiij. *Cinamomi* ℈ij. *Colaturæ adde ſyrupi magiſtr. ad melanchol.* ℥iij. *violarum* ℥j. *Ms.* Abſoluto hoc apozemate, incidit ſaphenam dextri pedis, detrahendo ſanguinis

nis ℥viij. Hinc acceſſi ad juſcula aperientia & lenientia, medicata radicibus taraxaci, graminis, aſparagi, Herbis Borraginis, bugloſſi, oxalidis, lapathi hortenſis, endiviæ, violariæ, fragariæ, cum paſſulis & pomis redolentibus. Hujus aſſumpſit hauſtum manè horis quatuor ante prandium, per decem dies; diſſolvendo in unoquoque Cremoris tartari ℈ij. ſtriarum nitri ℈j. gummi arabici ʒß. ſacchari albi ʒj. Quartâ verò pomeridianâ bibit aquam Hordei dulcoratam Syrupo violarum. Quibus factis, purgata ut priùs, uſa eſt aquis medicatis vitriolatis admiſcendo ſyrupum de althæa, & gummi arabicum, ut una fidelia duos dealbaret parietes, & æqualiter tam renibus quàm utero proſpiceret; ídque adeò felici ſucceſſu, ut non meliùs habuerit longo tempore, niſi quòd hæmorrhoidum dolore ab aquarum potu aliquandiu vexata fuit; donec tandem apertæ, ſingulis ferè aſſellationibus ad tres & plures uncias per aliquot annos fluerent ſanguinis; nullo alio incommodo, niſi quòd minùs vegeta erat, & color totius in pallorem permutatus eſſet. Imò his ſponte ſuâ ſubſiſtentibus, doloribus articularibus & arthritide ſæpius corripitur; materiâ ſcil. per hæmorrhoidales venas evacuari conſuetâ, ad articulos tranſlatâ.

OBSERVATIO XXV.

Immoderatus hæmorrhoidum fluxus in gravida.

HÆmorrhoides ſæpe in gravidis ſine incommodo, imò utiliter, frequenti etiam & multo fluxu, ſanguine exiſtente diluto, fluere; eóque ſubſiſtente, eas graviùs habere; excluſo verò, levari; obſervavit doctiſſimus Hollerius. Id ipſum annotavi in generoſa & nobili Heroina, Elizabetha, ex Nobiliſſima & antiquiſſima Bamphieldiorum familia oriunda, Generoſiſſimi Viri D^ni^ Thomæ Moore Armigeri conjuge, omni virtutum decore cumulatè ornata, ætate floridâ, ſtaturâ, ſi quæ altera, procerâ, & quadratâ, temperaturâ ſanguineâ & venis latis præditâ. Hæc utero habens, cùm ab aliquot annis affectione hypochondriacâ efflictim emacerata fuiſſet, ſeptimo geſtationis menſe, corripiebatur febri, circa veſperam quotidie exæſtuante, cum phlogoſi & calore in facie, poſt ſemihorulam iterum evaneſcente; nec non tumore ſiniſtri hypochondrii, adeò ſenſibili, ut tangentis manum nullo modo ferre poſſet; hæmorrhoidibus tum internis, tum externis, ad quatuor vel plures pro vice

ſanguinis

ſanguinis rubicundi & ſplendidi uncias, immoderatè fluentibus, non tantùm cùm aſſellaret, ſed & cum urinam redderet. Etſi verò antea quoque extra imprægnationis tempus eodem fluxu aliquoties moleſtata fuiſſet, qui poſt dies aliquot ſponte remittebat; attamen nunc viribus languidis abortum metuens, me ad viginti duo milliarium diſtantiam vocari curavit; ad quam ingreſſus, inveni eam lecto affixam, & nimio fluxu penè exhauſtam, cum extremorum perfrigeratione, & crebra in lipothymiam proclivitate. Libenter ei venam cubiti incidiſſem, ex Galeni imitatione, libr. de venæ ſect. ut revulſio fieret à venis ſedalibus. Averſio enim impetum humorum retardat, & fluxuros in aliam partem convertit. Sed ægrâ, ob multitudinem ſanguinis profuſi, ſummè debilitatâ, atque in ſeptimo imprægnationis menſe conſtitutâ, ne fœtui jam grandiori alimentum ſubtraheretur, ſatius duxi à venæ ſectione abſtinere, atque ægram victu commodo & aliis refocillare laboravi. Interim ſuperioribus partibus vincula dolorofa injeci, méque totum converti ad ſanguinis acrimoniam & tenuitatem refrigerantibus & incraſſantibus corrigendam: quæ quidem, rus, ubi nobiliſſima Heroina,

 procul

procul à pharmacopoliis remota, habitabat, ſuppetere poterat; non neglectis topicis, ſiniſtro hypochondrio & venis ani applicatis. Quibus adminiſtratis, ſanguis minori impetu fluxit; ità ut impetratâ veniâ domum properarem, quò debitâ remediorum ſupellectile inſtructus huic nobili ſuppetias ferre poſſem. Interim ſuaſu alterius nobilis fœminæ alium Medicum, in vicinia fortè verſantem, vocari curavit; cúmque vires quodammodo refocillatæ viderentur, è cubito emunxit ſanguinis uncias tres, & præſcripſit ei pulverem ex teſtaceis, ex aqua urticæ, plantaginis, & becabungæ cum lacte deſtillata exhibendum; nec non emulſiones cum eadem aqua factas. Repreſſus his aliquo modo ſanguinis fluxus, ſed non omnino ſuppreſſus, quin per intervalla ſæpius claſſicum caneret; donec tandem paulò ante debitum tempus partûs, non ſine vitæ periculo, enixa eſſet fœtum mortuum. Puerperium egreſſa inſtituit potum aquarum mineralium, tum purgantium, tum diureticarum & vitriolatarum. His adhibitis, reſtrictus quidem pro tempore ſanguinis fluxus; ſed ægra valetudinariam agit vitam, cum pallido faciei colore, quæ antea roſeo genarum labiorúmque rubore florebat; ut rectè

dixerit

dixerit Aetius, hanc affectionem malorum plurimorum cauſam exiſtere, quòd & deformitatem & miſeram vitam hominibus inducat, multos etiam vitâ privet. Novi fœminam quandam Exonienſem, ætatis circiter quadraginta annos natam, gracilis & parvæ ſtaturæ, ab aliquot annis hypochondriacâ affectione moleſtatam; quæ diuturno hæmorrhoidum fluxu emacerata, cùm nihil proficeret, venæ ſectionibus, purgationibus, longo ſyrupi chalybeati, & aliorum remediorum à medicis ejus loci præſcriptorum uſu; aſſumpſit tandem, amici cujuſdam ſuaſu, duodecim grana Mercurii dulcis, additis quatuor granis reſinæ Jallapæ, à quo cùm alvus ſemel tantùm commoveretur, eandem doſin ſequenti die repetiit; ſed alvo ab eo iterum ſemel commotâ, incidit in ptyaliſmum moleſtiſſimum per quatuordecim dies durantem, ut nil niſi mortem exſpectaret. Fluxu tamen ex artis lege ſedato, ſimul etiam ſedatum hæmorrhoidum profluvium; quod tamen, poſt plures ſeptimanas, potu aquarum Ebeſhamenſium, ſuaſu medicorum inſtituto, repullulavit, licèt minori violentiâ.

OBSER-

OBSERVATIO XXVI.

Ab hæmorrhoidum fluxu intempeſtivè ſuppreſſo hydrops.

Conſulit Galenus, communis Medicorum præceptor & judex, comment. in aphor. 25. lib. 4. Hippocratis, evacuationi per hæmorrhoides non eſſe naturam aſſuefaciendam; quòd periculoſus ſit exceſſus, ſive ſupra modum ſanguis excernatur, ſive ex toto ſupprimatur. Hujus veritatem confirmat Virgo quædam profectioris ætatis, Nobiliſſimæ Dna Brune de Athethamſton, quarto Dorcheſtriâ lapide diſſito, à cubiculis, tenui & macilento corporis habitu, cacochymâ, & vitioſis humoribus abundans. Hæc fortè, neſcio qua de cauſa, inciderat in pertinaciſſimam menſium obſtructionem; quibus reſerandis crebro & diuturno uſu Aloëticorum, mulierculārum ſuaſu aſſumptorum, incidit in immoderatum hæmorrhoidum fluxum. Aloë enim partium tenuitate fundit ſanguinem, & ad vaſorum imprimis ſedalium extrema deducit, earundem craſſitie fit ἀναστομωτικόν. Hujus mali pertæſa, meum conſilium

ſilium imploravit. Juſſi itaque, ut, ſectâ cubiti venâ, ſanguinem à partibus inferioribus revelleret, humores ſuperfluos Rhabarbaró, tamarindis, & aliis benedictis, vinique aliquam adſtringendi habentibus, blandè evacuaret; quibus factis, ſanguinem incraſſantibus venáſque laxiores conſtringentibus, tum internis, tum externis uteretur. Sed illa, his ſpretis, topicis adſtringentibus ſanguinis fluxum repreſſit; unde immedicabili hydrope correpta, animam paulò pòſt efflavit; ut verè dixerit Hippocrates, Medicorum coryphæus 6. Aph. 11. Diuturnas curanti Hæmorrhoides, niſi una quæpiam ſervetur aperta, periculum aquæ inter cutem, vel tabis imminet.

OBSERVATIO XXVII.

Tumores ſeu condylomata ani lethalia.

MAximi in Medicina momenti eſt, ſimilia à diſſimilibus ſecernere, ut exploratâ & penitus cognitâ morborum, vel peritiſſimis Medicis ſub fallaci idæa illudentium, naturâ, & vero ſchemate, remedia affectui debita ab artis peritis aſſignentur. Hujus rei defectu, neceſſe eſt Medicos in graviſſi-

graviſſimos errores incidere. Id quod accidit in caſu Reverendi Viri D^ni^ Guilielmi Liford, Verbi Divini apud Sherbornenſes Miniſtri fideliſſimi, ætate intra quinquageſimum & ſexageſimum mediâ. Hic conſtitutionis ſanguineæ, hypochondriacâ affectione moleſtatus, neſcio cujus ſuaſu frequenter aſſumpſit horis matutinis duo cochlearia ſpiritûs Vini, infuſione ſpecierum Hieræ Picræ imprægnati. Unde Reverendus æger incidit in ani ardorem, cum fluore ſanguinis ichoroſi, inſtar loturæ carnium, admodum dolorifico, cum inſomniis & magna virium jactura. De hujus affectûs natura, Medici in varias abierunt ſententias; quorum alii fluxum hæmorrhoidum, alii hepaticum accuſabant. Tandem & ego in conſilium adhibitus, affectu diligenter examinato, tumores nonnullos, & unum reliquis majorem intra anum deprehendi, & ægrum condylomatis internis affligi pronunciavi. Sed æger meo judicio non acquieſcens, caſum graphicè deſcriptum propoſuit illuſtri Viro Domino Theodoro de Mayerne, Archiatro Regio, & Medico celeberrimo, qui meam de affectu ægri ſententiam confirmavit; metúmque eſſe dixit, ne tumores iſti, præſertim magnus ille, convertatur in Bubonem, & canceroſus evadat,

dat, ſanguinémque fluere ab iſtis tumoribus, qui eſſent condylomata interna; prohibuítque, ne quid acre immitteretur; curámque auſpicari juſſit à potu vulnerario ſpecifico, adjecto Marte & Jove. Præſcripſit præterea Syrupum chalybeatum primò, deinde Martem corallinum aliquamdiu continuandum; & injectiones ſuaſit cum balſamo Sulphuris, oleo lini aut juglandium facto, ſpecifico reddito cum tapſo barbato, ſcrophularia, chelidonia minore, & betonica aquatica. Sed hæc malo jam inveterato fruſtrà adhibita, & morbus naturæ vim, vigiliis & doloribus exhauſtam, ſuperavit; ut macore confectus, è mortali corpore placidè emigrârit.

OBSERVATIO XXVIII.

Puerpera doloribus hæmorrhoidum obnoxia.

HAud rarò obſervavi, mulieres in Puerperio doloribus hæmorrhoidum à ſanguine fæculento & craſſo,in venas ſedales delato, admodum moleſtatas. Inter alias Franciſca, Viri ſpectabilis D^ni Guilielmi Wade, Mercatoris Dorcheſtrenſis, Senatorii ordinis, conjux lectiſſima,admodum obeſa, ætate florente,

florente, hoc malo graviſſimè affici ſolebat; ità ut, præ dolore, totas noctes inſomnis traduceret. Hæc, multis fruſtrà remediis tentatis, cùm à dolore liberari non poſſet; tandem, miraculi inſtar, à dolorum carnificina vindicata fotu tapſi barbati & ſcrophulariæ in lacte coctarum, & affrictione linimenti ſequentis, ℞ *Unguenti de linaria* ℥jß. *de Althæa* ℥ß. *Carnis bubulæ macræ ad prunas in olla uſtæ, ut in pulverem teri poſſit* ʒij. *Vitelli ovi n°* j. *Croci gr.* v. *Cum ſ. q. olei amygdalarum dulcium, fiat Linimentum, ſuper Goſſipio apponendum.* Idem in aliis ex voto ſucceſſit.

OBSERVATIO XXIX.

Umbilici prominentia.

UMbilicum modeſtè protuberantem habere, decorum eſt; indecorum verò, imò moleſtum, ſæpe etiam periculoſum, ſi ultra decorem & modum promineat. Hic affectus cognatum Herniæ malum eſt, & Medicis procidentia umbilici, Græcis verò ἐξομφαλον πάθος nominatur. Hoc malo detinebatur Edvardus Jones, civis Dorcheſtrenſis, pannis laneis venundandis victum quæritans; Vir obeſus, imprimis verò ventre;

con-

conſtitutionis ſanguineæ, & ætatis conſiſten-
tis. Huic non tantùm umbilicus promine-
bat, à colluvie vitioſi humoris ſub eodem
contracta, ſed & inteſtinum ileon, laxato
peritonæo è ſua ſede elapſum, tumorem ad
latus dextrum umbilici producebat; qui,
ægro ſupino decumbente, ſubſidebat; quòd
ſcilicet inteſtina in ſuum locum regrederen-
tur; Græci ἐντερόμφαλον nominare ſolent. Hic
Vir honeſtus de eventu hujus mali admo-
dum erat anxius. Et fortè non ſine cauſa,
cùm multis, hoc malo afflictis, lethalis tan-
dem ileos ſupervenerit. Meum itaque con-
ſilium implorantem ex artis lege purgavi,
quòd humiditates, in corpore craſſo & ob-
eſo abundantes, huic malo anſam dare vi-
debantur. Mox inteſtino in ſuum locum re-
poſito, partem affectam ſedulò fovendam
curavi decocto uſneæ & aluminis, in vino
rubro adſtringente; ſuperimpoſito emplaſtro
contra rupturam Fernelii, oleo maſtichino
malaxato; non omiſſis interim internis qui-
buſdam, ex conſerva ſymphyti, & ſimilibus
paratis. Quæ quidem non interrupto filo
diu continuata, cùm non prodeſſent; im-
ponere juſſi ſacculum, farinâ lupinorum, &
linteo combuſto, vino adſtringente ſubactis,
repletum; ídque frigidè, cum ſubligaculo
con-

convèniente, inteſtino, impetum facienti, reſiſtente; quo licèt malum non fuerit omnino ſanatum, attamen in meliorem ſtatum fuit reductum. Patet hinc quàm difficilis ſit hujus mali in adultis curatio, quæ non niſi manuum operâ, minùs tutâ, ut rectè cenſet Hieronymus Fabricius ad Aquapend. perficitur.

OBSERVATIO XXX.

Tumor ſeu Hernia umbilicalis lethalis.

QUod Hippocratis, venerandi Medicorum coryphæi, oraculo ſancitum eſt, nullam ætatem ab ullo morbo liberam & immunem, ſed omnes cujuſcunque ætatis mortales omnium tyrannidi æquè ſubjectos eſſe, id quotidiana experientia, fida rerum magiſtra, abunde docet, & ratio ipſa evincit; Videmus enim morbos graviſſimos indies non tantùm in adultos, ſed & inermes infantulos crudeliter ſævire. Intercidit hic, inter maternas uteri latebras, vixdum homo, atque inter fingentis adhuc Naturæ manus; ille, dum naſcitur; iſte, dum in cunis vagit; plurimi, in ipſo ſtatim ævi flore, vix percepto primoribus, quod aiunt, labris, vitæ ſenſu,

ſenſu, affatim pereunt. Id inter alias ſequens hiſtoria teſtatur. Beaverat Deus, conditor opt. Max. Heroinam ſtemmatis claritate & virtutum decore inſignem, Mariam, Nobiliſſimi Viri, D^ni^ Henrici Henly Armigeri, conjugem lectiſſimam prole maſculâ. In hoc infantulo, fauſtâ Junone Lucinâ recèns nato, obſervavit obſtetrix quendam umbilici tumorem, nucis moſchatæ magnitudinem æquantem. Uterque parens, re, ut erat, nunciatâ, perterriti, ſine mora Medicum vicinum & Chirurgum Exoniâ accerſitum, in conſilium adhibent, & me quoque ad octodecim milliarium diſtantiam vocari curant. Convenimus omnes intra triginta horarum ſpatium; jámque tumor ad pugni magnitudinem accreverat. Quo diligenter examinato, candelâ admotâ, conſpicienda ſe præbebant inteſtina verſicolora, in eum prolapſa, rupto peritonæo; deſuper verò à dextra tumoris parte, quæ ſphacelo correpta erat, neſcio quam carneam ſubſtantiam, inteſtina deprimentem tactu deprehendimus. Chirurgus cum altero Medico ſpem unam in tumoris inciſione collocatam eſſe affirmabant; fore ſic, ut inteſtina in ſuum locum reponi queant. Ego contrà diſſuadebam, quòd inteſtina ſphacelo correpta viderentur, & in-

fantulum admodum debilem moriturum dicebam; & præſtare, eum intactum relinquere, quàm artem apud plebem maleficam deſamare. Parentes verò, filioli vitæ deſideratiſſimi, iis auſcultantes, anceps potiùs remedium experiendum conſtituerunt, quàm infantulum ſine auxilio, etſi dubio, Libitinæ abſorbendum relinquere. Factâ itaque inciſione, cùm Chirurgus immiſſo in vulnus digito inteſtina in ſuum locum reponere annîteretur, renitente carneâ ſubſtantiâ, ipſis incumbente eadémque deprimente, fruſtrà laborabat; infantulo mox vitalem auram, quam vix hauſerat, immaturè effundente. Aperto à morte, parentum conſenſu, miſelli corpuſculo, nè veſtigium quidem omenti conſpiciendum erat. Lien præterea exiguus admodum apparebat: inteſtina tenuia, rupto peritonæo, in umbilicum prolapſa, & ſphacelo emortua. Hepar verò, quod continuum eſſe ſolet, nec in lobos, ut in quadrupedibus, diviſum; in duos lobos profundè ſectum erat; quorum alter in proprio loco, dextro ſcil. hypochondrio, ſub diaphragmate & coſtis nothis conſpiciebatur; alter verò extra peritonæum prolapſus, eidem adeò firmiter accreverat, ut novaculâ ab eò ſeparari minimè potuerit. Cætera ſana. Et hic fuit exitus hu-
jus

jus infantuli, in ipſo ortu extincti. Scilicet Parcæ nec formæ, nec opibus, nec ætati, imò nec imperiis parcunt. Hac nimirum lege, Deus, Conditor Maximus, animum in hujus corpuſculi præſidio conſtituit, ut quocunque die, & quocunque horæ momento juſſerit decedere, protinus indè ſit exeundum.

OBSERVATIO XXXI.

Ileos cum ruptura lethalis.

ILeos, ſeu volvulus, acutiſſimus & graviſſimus eſt morbus ; qui, Arabum, eorúmque aſſeclarum ſententiâ, ſeptem ad ſummum, interdum etiam duobus vel tribus diebus, hominem è medio tollit ; Pueris magìs, quàm ſenibus familiaris, Aëtio ſuffragante ; quorum tamen illi humiditatis beneficio faciliùs evadunt ; hi verò nunquam ferè convaleſcunt. Differentiæ hujus mali ſumuntur à cauſis, quæ ſunt variæ. Impræſentiarum proponam exemplum illius Ileos, qui ab inveterata Hernia originem duxit, in Nobiliſſima Matrona, Maria, Nobiliſſimi Viri D^ni^ Guilielmi Churchill Armigeri, Multoni habitantis, conjuge, provida & rei domeſticæ prudenter adminiſtrandæ, peritiſſima ; robuſto

corpore, ſtaturâ quadratâ, & ætate conſiſtente. Huic inteſtina longo tempore in inguen prolapſa erant, ex nimio in difficili partu conatu; ità ut ligamentis idoneis inteſtina in ſuum locum reducta retinere continuò cogeretur. Cùm verò formosâ meſſibus æſtate, rapido, ut Virgilii verbis utar, feſſis meſſoribus æſtu inſpiciendis, quò ritè ſegetes maturas ſecarent, & pro more in manipulos contraherent, occupata eſſet; nimio corporis motu, & exercitatione, Sirio flagrante æſtu, deſcenſum inteſtinorum ſolito majorem ad inguina, non ſine magno dolorum cruciatu, ſubitò fieri deprehendit; Quam ob cauſam relicto campo, domum ſe conferens, plebeium quendam hominem, quem longo uſu in reponendis inteſtinis peritum eſſe audiebat, vocari curat. Hic omni arte adhibitâ, inteſtina duris ſtercoribus infarcta, in locum ſuum reponere, nec ſtercora in rupturam prolapſa, ullo indè modo dimovere poterat; quam ob cauſam inflammatione gravi mox obortâ, quam indicabat tumor ſupra umbilicum, inteſtino ileo inſtar chordæ tenſo, unde nonnulli Ileoſim χορδαψὸν appellârunt, febri quoque, aliiſque ſymptomatis ſupervenientibus; altero ab invaſione die, me, Dorcheſtriâ accitum, in conſilium adhibent.

bent. Ad quam ingreſſus, vires omnes ſummè languentes inveni; non tantùm febris vehementiâ ob inflammationem, calore febrili cordi, & conſequenter toti etiam communicato; ſed & dolorum tyrannide; imprimis verò vomitu enormi & continuo, ut neque cibum, neque potum contineret; quem Galenus non ſemper iliaco dolori ſuccedere dicit, ſed quoties ſuccedit, lethalem eſſe affirmat. Interim per inferiora nihil omnino deſcendebat; id quod Ileos proprium eſt & inſeparabile ſignum. Cùm itaque cauſam hujus affectûs ex inguinis ruptura evenire cognoſcerem, eam omnibus modis removendam duxi, ut in locum conſuetum, ſi fieri poſſit, inteſtinum prolapſum retruderetur; quod cùm manu fieri non poſſet, rem fomentis lenientibus, & flatus diſcutientibus, juſculis quoque exhibitis, quæ tamen pleraque rejiciebat, & clyſteribus emollientibus, cum jure omaſorum paratis, & ſimilibus tentavi, ſed fruſtrà, & ſine fructu, malo in pejus continuò ruente; ità ut alvus ei neque clyſteribus neque balanis etiam fortiſſimis impoſitis ſolvi potuerit; dolórque in ventre atrociſſimus ægram conficeret; vomitu verò birioſa & aſſumpta quævis rejiceret; adeò ut tandem excrementa per os

 eructaret,

eructaret, ſuperveniente ſingultu, & levi delirio; proculdubio propter inflammationis fervorem, reſpectu ſpirituum animalium communicatum; cum extremorum frigiditate, ſanguine & calore ad inteſtina inflammata attracto; naturâ ſimul eò inclinante; quaſi in auxilium venturâ affectæ parti, atque ideo ſanguinem & ſpiritus ab extimis partibus revocante, atque ad afflictam partem tranſmittente. His omnibus tandem mors, qua nihil inexorabilius, colophonem impoſuit; Verè igitur Hippocrates, artis Medicæ conditor, æternùm venerandus, Ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, & convulſio, malum, Aph. 7. 10.

OBSERVATIO XXXII.

Iliaca paſſio ab ὀχεικύλη curata.

ETſi omnis ileos ſit periculoſus, & plures ex inflammationibus, cæteriſque partium principum morbis, quàm ileo ſalventur; alius tamen alio minùs exitialis; nec ille, perinde ut hic, mali moris eſt. Judicatur autem talis, cui vomitus ſupervenit, ab initio quidem bilioſorum, & pituitoſorum humorum, poſtea quoque, malo invaleſcente, ipſorum

ipſorum ſtercorum, inverſo inteſtinorum motu. Sunt tamen aliqui, quibus exorabiles ſunt Parcæ, vitæ eorum parcentes; ità ut à tam graviſſimo & exitiali morbo ſalvi evadant: ii maximè, qui ex fæcum retentione & ὀχλοκήλην in hoc malum inciderunt, id quod inter alios ſequens hiſtoria confirmat. Vir honeſtus Rogerus White, civis Sherbornenſis ætatis conſiſtentis, & corporis conſtitutione melancholicus, pileis vendendis victum ſibi parans; hic laborabat ileo graviſſimo, ex inteſtinis, duris ſtercoribus turgidis, in ſcrotum, rupto peritonæo, prolapſis. Erat autem querulus de atrociſſimo ventris circa umbilicum dolore, inflammationis indice; accedente inſuper etiam bilis & pituitæ, cum aſſumptis quibuſvis, & tandem quoque fœtidorum & malè olentium continuo vomitu; excretrice partium vicinarum, ob dolorum carnificinam, conſortii lege per membranarum communitatem, ſtimulata: ſuperveniebat tandem febris, cum totali obſtructione alvi, quam per plures dies non exoneraverat; vigiliis itidem, & virium languore urgentibus. In his anguſtiis conſtitutus, Chirurgi vicini & concivis operâ, in arte ſua alioquin experti, uſus eſt; quo fruſtrà inſudante, in inteſtinis, fæcibus diſten-

tis, in ſuum locum reponendis, tertio demum die me Dorcheſtriâ evocatum in conſilium adhibuit. Cùm itaque viderem Chirurgum manu ſuâ nihil efficere potuiſſe, & ſpem omnem in inteſtinorum, extra peritonæum prolapſorum, repoſitione ſitam eſſe, aliis præſidiis curam aggrediendam eſſe duxi; & ſine mora, nè malum in pejus rueret, injiciendum curavi enema emolliens, & quodammodo refrigerans, habito incipientis inflammationis reſpectu; ſi quæ fæces induratæ, quæ repoſitioni inteſtinorum reſiſtebant, emolliri poſſent. Erat autem tale. ℞ *Radicum althææ* ℥jß. *foliorum malvæ, violariæ, camomillæ ana* M. iß. *hordei mundati* pj. *Seminis malvæ & lini ana* ʒij. *florum camomillæ, meliloti ana* pj. *prunorum damaſcenorum* n°. vij. *fiat decoctio in jure pingui, pro* ℔jß. *cum colatura; in qua diſſolvendam curavi Caſſiæ recenter e canna extractæ* ßjß. *Sacchari rubri & mellis violacei ana* ℥j. *Olei violarum, & butyri non ſaliti ana* ℥j. *Salis prunellæ* ʒß. *Miſce, fiat enèma*; à quo circa veſperam injecto alvum bis depoſuit, & ſtercora dura rejecit. Interim alvum & rupturæ locum fovit decocto emollientium pro enemate ſuprà præſcriptorum. A fotu totus venter inunctus fuit oleo roſaceo & amygdalino; deſuper impoſito cata-

plaſmate ex radicibus althææ & liliorum alborum, foliis malvæ & floribus camomillæ, in aqua communi ad mollitiem coctis; addendo farinæ ſeminis lini & fænugræci ana ℥j. & farinæ hordei q. s. ad cataplaſmatis conſiſtentiam, adjecto etiam unguento dialthæas. Interim abſtinentiam à cibo injunximus, & potum modeſtâ manu conceſſimus; in quo bis per noctem aſſumpſit Elixiris proprietatis Paracelſi guttas ſex; quo vomitus mirè pacatus; ità ut manè omnia ſymptomata eſſent mitiora, & ſtercoribus emollitis inteſtina in locum ſuum regreſſa eſſent. Juſſi itaque, ut ad ſtercora educenda alius clyſter, admixtis quibuſdam purgantibus, injiceretur; intrà verò oleum amygdalarum dulcium recenter ſine igne extractum cum juſculo aſſumeret; unde copiosè dejecit; ſequenti die exhibitum fuit purgans; quo cum εὐφορίᾳ operationem ſuam perficiente, æger brevì ex orci faucibus ereptus, fauſto Apolline convaluit. Rupturam verò in ſuo impoſterum loco aptis faſciis retinendam, Chirurgo commiſimus. Deo ſit gloria.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIII.

Inteſtinum duodenum à verme perforatum.

EX multis affectibus, quos pueritia ſubit, hi ferè ſunt præcipui, quos cruditatis frequentiſſimè & ἀμαρτωλῶν καὶ κακοχυμῶν alimentorum aſſecla crudus humor producit. In horum numero ſunt vermes, qui in inteſtinis magnâ ſæpe copiâ generantur; quorum tria maximè genera Ariſtoteles, ingens illud naturæ lumen, & priſci Medicinæ ſcriptores numerant, Teretes, Latos & Aſcarides. Horum iſti in tenuibus magìs; illi in utriſque inteſtinis, ſed præcipuè craſſis, interdum in cæco & cellulis coli; hi verò in recto inteſtino generari ſolent. Præter hos tamen & alii quandoque generantur, cornuti, hirſuti, multipedes, caudâ bifurcatâ præditi, & alii. Mira verò ſunt, quæ ab authoribus de lumbricis proponuntur indicia; mirabilia, quæ quotidie in iis, qui ab ipſis infeſtantur, viſuntur ſymptomata, inaudita & terroris plena, quæ ægros miſerè torquent, eáque adeò obſcura & cum aliis morbis communia, ut doctiſſimorum & lynceis oculis præditorum Medicorum εὐστοχίαν quandoque eludant.

eludant. Imprimis verò Teretes, omnium frequentiſſimi, graviora inducunt ſymptomata; qui cùm naturâ ſuâ ſemper ſint peſſimi, & toto genere præter naturam, attamen minores majoribus; pauci multis; albi rubris; viventes mortuis ſunt meliores. Monardus tamen contrarium ſentit. Hos à materia putrida & pituitoſa & alimentari, & chyli portione admiſta in inteſtinis, ſuperioribus maximè cumulata, ortûs ſui primordia derivare ſtatuunt Medicinæ periti; dum calor nativus & vitalis materiam illam virtute ſuâ informat, non ſecus ac inſecta quædam à Sole procreantur; cùm nimirum materia ad illius vim ſuſcipiendam apta nata eſt. Ad horum omnium confirmationem exemplo nobis ſit nobiliſſimus puerulus bimulus, ſtrenui ac generoſiſſimi Viri, D^ni Ludovici Diue, Equitis aurati filiolus, ſi quis alius, formoſus, atque optimo corporis habitu præditus. Hic cùm per duos tréſve dies minùs bene haberet, & tuſſi ſiccâ laboraret, cum inquietudine, nocturno præſertim tempore, & crebris ejulationibus, nutrix eum dentibus laborare putabat, donec tandem in graviſſimos & continuos motus convulſivos incideret; quibus pacandis, ſi Deo viſum fuerit, duo mecum Medici in conſilium adhibiti. Varia

ad

ad eos ſedandos communi conſilio exhibita ſunt præſidia, cùm interna, tum externa. Sed fruſtrà omnia, & renitente Apolline, nobili hoc puerulo tertio convulſionum die naturæ debitum ſolvente. Aperto Generoſiſſimi, ſed obitu filioli mœſtiſſimi parentis juſſu, corpore, diligenti ſcrutinio nihil invenimus, quod lethum accelerare potuiſſet, donec ad inteſtina deventum; quibus examinatis, duodenum à Terete perforatum & exeſum invenimus, quem adhuc vivum indè extraximus. Adeò miſera eſt homunculorum conditio, quos etiam vivos, proh dolor! vermes erodunt, nedum ut ſepultos iis in eſcam venire exſpectemus; ut verè dixerit, qui ſcripſit, ἄνθρωπον ψυχάριον βαστάζον νεκρόν.

OBSERVATIO XXXIV.

Multitudo vermium rejecta.

ETſi adulti quandoque, in febribus maximè, vermibus vexantur; attamen puerilis eſt magna ex parte affectus, & inter morbos puerorum à venerando è Coo ſene recenſetur. Et imprimis generantur tunc temporis in iis Teretes & rotundi, quòd in ea ætate, ob nimiam voracitatem, magnam ſemi-

ſemicoctorum humorum copiam cumulent. Ità puella quædam, parentibus tenuis admodum fortunæ nata, cùm vermibus laborare videretur, propinatá flavedinis aurantiorum in pollinem redactæ ſemidrachmâ ex aqua graminis, & injecto à meridie clyſtere ex lacte ſaccharato, rejecit ſupra quinquaginta Teretes, ſeu lumbricos rotundos. Solent enim vermes, lacte & dulcibus gaudentes, ad ea laſcivire, & movere ſe, & ſæpe cum clyſtere injecto averri. Vulgus, in his oris, pueris verminantibus exhibent grana decem, habito virium reſpectu, foliorum Conſiliginis, vel potiùs Helleboraſtri; quo aſſumpto, vidi incredibilem vermium multitudinem rejectam. Sed non videtur periculo vacare hoc medicamentum, facultate quadam venenosâ præditum. Multi hanc plantam, Dodonæo autore, Aconitis annumerant; quæ quàm venenata ſint, nemo eſt, qui ignoret. Hac, A. Gellii ſuffragio, Galli olim in venationibus tingere ſolebant ſagittas, quò iis ictæ & exanimatæ feræ teneriores ad epulas fierent, ſed propter Hellebori contagium vulnera ex ſagittis facta circumcidiſſe latiùs dicuntur. Utuntur eâ ad pediculos enecandos, unde & pedicularis vocatur. Eâdem comeſtâ, vulpes & lupos interimi certum eſt; ut minimè

mirum

mirum ſit, eâ quoque exhibitâ vermes deturbari. Sed præſtat tutioribus uti. Mihi familiaris eſt pulvis, in quo trium regnorum Medicinæ conjuncta ſunt, ad vermes occidendos & dejiciendos generoſa inſtrumenta, qui talis eſt ℞ *Mercurii dulcis grana xij. Raſuræ Cornu cervini grana decem, Corallinæ gr. viij. Miſce, fiat pulvis.* Interdum hujus loco feliciter uſus ſum pulvere ex æquis partibus Rhababari, Corallinæ & cornu cervi uſti, addito tantillo ſalis abſynthii, ex aqua Galegæ aut graminis propinato.

OBSERVATIO XXXV.

Tarda & pigra alvi dejectio.

Quemadmodum multi, præſertim qui craſſo & obeſo ſunt corpore, citam & lubricam habent alvum, quater eam vel quinquies in die deponentes; itâ & alii reperiuntur, qui eandem nimis adſtrictam poſſident, & eam per plures dies ne ſemel quidem exonerant. Itâ nobiliſſimus Vir, D[nus] Johannes Churchill, armigeri ordinis, Multoni habitans, tertio Dorcheſtriâ lapide diſſiti, triginta plùs minùs annos natus, temperamento calido & ſicco præditus, agilis & exercitiis

citiis plurimùm deditus, alvum ſæpius per decem & plures dies non reddebat, ſine ullo valetudinis incommodo; niſi quòd ſudoribus, noctu præſertim, difflueret, & de capitis dolore aliquando, ſed rariùs, eſſet querulus. Hujus mali cauſam non tam in debilitate expultricis, quàm in robore retentricis; ſeu, ut veriùs dicam, in nimia Hepatis attractione quærendam eſſe judicavi. Dum enim immoderatè humorem ex ventriculo & inteſtinis emulget & exugit, aridiora fiunt excrementa, quàm ut aptè excerni queant; præſertim cùm labor, & exercitia, vel inedia, vel calefactio, vel potûs paucitas accedit. Huic malo, ſi fieri poterit, medendo, ſuaſi huic nobili viro ſeri lactis uſum ſucco cichorei medicati, ad corrigendam Hepatis & viſcerum intemperiem. Ad alvum verò leniendam, aſſumpſit interdum in primo prandii potu quatuor cochlearia infuſionis ſenæ cum paſſulis in aqua communi & ſucco aurantiorum factæ; interdum ante prandium Caſſiam è canna comedit, aut pruna cocta, ſuperbibendo hauſtulum Vini albi tenuis; quibus multùm fuit adjutus. Interdum etiam clyſteribus alvum ſegniorem emollire laboravit, ſed lenibus tamen. Nam qui acriores ſunt exſiccant tandem, & dum natura

aſſueſcit

aſſueſcit eorum ſtimulum expectare, alvum magis adſtrictam reddunt. His paucis, præter alia ad victûs rationem pertinentia, ſedulò adhibitis, partim etiam ætatis permutatione, ab hoc malo liberatus, alvum obedientem nactus eſt.

OBSERVATIO XXXVI.

Icterus ex obſtructione meatûs biliarii curatus.

ICterus ab auri colore Aurigo ſeu morbus auriginoſus, aliàs quoque regius vocatur, Quinto Sereno Samonico autore, qui ſic loquitur,

Regius eſt verò ſignatus nomine morbus,
Molliter hic quoniam celſa curatur in aula.

Ab ave verò ictero, quam Latini Galbulam nuncupant, icteritiæ nomen ſortitur. Celſo arquatus dicitur à colore arcûs cœleſtis. Hic varias habet cauſas, cùm externas, tum internas, à practicis paſſim recenſitas. Hoc loco exemplum proponam illius icteritiæ, quæ à meatûs cholidochi, qui in inteſtina protenditur, obſtructione contigit, in nobiliſſima Vidua Nobiliſſimi Viri D^{ni} Roberti Henly,

Henly, quinquaginta quatuor annos, & quod excedit ultrà, nata; conſtitutione corporis mediocriter craſſâ & pinguiuſculâ. Hæc Litcheti apud filiam nobiliſſimam commorata, ſero autumno querula erat de ſpontanea laſſitudine, & in lipothymiam pronitate, urinâ exiſtente impensè flavâ & craſsâ, & alvo adſtrictâ, excrementis verò cineritiis. Febris erat expers, ſed ventriculus languidus. Toto præterea corpore auriginoſa apparebat. Hanc, elotâ priùs enemate alvo, purgavi infuſo Rhei & Agarici cum correctivis in aqua graminis & praſii, adjecto ſyrupo diaſereos, & cremore tartari. Eductâ hoc modo humoris peccantis portione, exhibui manè per plures dies tincturam marrubii cum Aqua lumbricorum extractam, & ſale martis imprægnatam. Interim alvum ſegniorem ſollicitavit pilulis ſtomachicis cum gummis, adjectâ extracti Rhabarbari portiunculâ. Potus erat medicatus cuſcutâ & marrubio. His urinâ ad meliorem ſtatum, & excrementis ad naturalem colorem permutatis; pro corroboratione viſcerum, & præcautione, nè recidivam pateretur, purgato per pulverem baſilicum, mihi familiarem, corpore; aſſumpſit bis in die Electuarium ex conſerva fumariæ, cichorei & radicibus ejus conditis,

adjectis ſpeciebus diarrhodon, compoſitum; injunctâ ſimul probâ victûs ratione; & ſic nobiliſſima ægra fauſto Apolline ab ictero vindicata. Deo ſit laus & gloria.

OBSERVATIO XXXVII.

Icterus in gravida curatus.

HAbent fœminæ non ſolùm proprios ſibi & peculiares affectus, eóſque ſatìs multos, aut ratione temperamenti fœminei, aut ratione partium generationi & nutritioni fœtûs dicatarum, aut excrementorum ratione, quæ in earum corporibus generantur: ſed & alios quoque morbos cum Viris communes haud raro ſuſtinent. Ità generoſa heroina, Anna, Viri Nobiliſſimi D^ni^ Thomæ Trenchard, Armigeri, conjux, omni virtutum decore cumulatè ornata, annos circiter viginti octo nata, ſexto graviditatis menſe, de nauſea & ventriculi dolore conqueſta, ſubitò facta eſt toto corpore icterica, nullâ febri præſente, urinâ ex flavo & rubro ferè nigricante, alvo ſegniore, & excrementis albeſcentibus, abſque aliis ſymptomatibus; niſi quòd de pruritu quodam querula eſſet. Huic in lecto videbatur icteritia remiſſior, nec

nec cutis tantâ flavedine tincta apparebat; ſed è lecto ſurgens, intenſiùs multò flaveſcebat. Ad hanc accitus, ſuaſi Rhabarbari uſum in ſubſtantia cum conſerva roſarum pallidarum cum manna parata, formâ boli exhibendi, ut bilis per alvum educeretur. Poſtea verò aſſumpſit pulverem ſequentem, ℞ *Limaturæ eboris drachmam unam, cum dimidia, ſpecierum diarrhodon abbatis, & ſeminum aquilegiæ ana ℈j. pulveris lumbricorum terreſtrium ℈ß. Miſce, hujus pulveris ℈j. ſingulis matutinis ex decocto taraxaci hauſit*; hepatis verò regionem unguento de ſuccis aperitivis inunxit; atque his paucorum dierum ſpatio ab ictero liberata, debito tempore peperit puellam, quam Deus unà cum nobiliſſima matre quàm diutiſſimè ſalvam eſſe velit.

OBSERVATIO XXXVIII.

Icterus à manducatione ſtaphidis agriæ lethalis.

ADeò miſera eſt vitæ mortalium conditio, ut non tantùm mille morborum phalangibus undique circumvallata indies oppugnetur, affligatúrque; verùm etiam foris, innumerabilibus ſubinde venenis mortiferis petatur, & periclitetur; quæ non rarò

per incuriam & propriam quoque imprudentiam devorant, hauriúntque. Id quod accidit, proh dolor! virgini cuidam in oppido Poole, naturâ egregiè munito, Franciſcæ Wareham nomine, honeſto loco natæ, ætatis ſuæ annum viceſimum ſextum numeranti, habitu pleno, & toto ſeroſâ colluvie referto. Hæc crudeli dentium carnificinâ efflictim emacerata, neſcio cujus ſuaſu, liberaliùs manducavit ſemina ſtaphidis agriæ, quàm pituitariam vocat Plinius; alii verò, ab uſu, herbam pedicularem ſeu peduncularium, & Græci phtiroctonon nominant, & à Galeno calidæ, acris & cauſticæ facultatis ſtatuitur. Cùm verò qualitatis hujus neſcia, manducatione attractam ſalivam non expueret, ſed deglutiret, incidit in magnum palati & faucium ardorem, nullis remediis extinguibilem, cum totius intumeſcentia, & bilis effuſione in totum corpus, quam icterum vocant; à Plinio fellis ſuffuſio dicitur. Ad hanc altero à decubitu die Dorcheſtriâ accitus, omnibus circumſtantiis & ſymptomatis probè examinatis, excrementis quoque non albeſcentibus, quod in ictero ex obſtructione meatûs biliarii fieri ſolet, ſed intensè flaveſcentibus, quicquid mali patiebatur miſella, id omne ſtaphidis agriæ manducationi, & degluti-

tioni

tioni adſcribendum judicavi. Et mox, ut ei ſuccurrerem, exhibui oleum amygdalarum dulcium; inteſtinis quoque injiciendum curavi lac cum oleo amygdalarum dulcium; intus verò, præter juſcula pinguia, exhibui emulſiones ſeminum quatuor frigidorum, cum aqua hordei paratas, & plura alia; ſed fruſtrà omnia, & reluctante Apolline, ægrâ altero mox ab adventu meo die, qui tertius erat à decubitu, animam efflante. Potuiſſet forſan ſervari, ſi ſtatim ab initio evacuata fuiſſet, antequam à Staphide agria ſanguis corruptus in humorem flavum, & ſpiritus vitalis proſtratus eſſet; ut vel maximè in hoc caſu locum habeat quod dicitur,

Principiis obſta, ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluère moras.

OBSERVATIO XXXIX.

Icterus à ſcorbuto cum tertiana duplici.

Ex morborum myriadibus corpora humana infeſtantibus, vix ullus reperitur tam πολύμορφος, quíque ſub omnium ferè malorum larva corpora noſtra clanculùm ag-

grediatur, ac Scorbutus, barbarè ſic dictus. Inter alia, febres frequenter, quandoque & icterus ei conjungitur. Hujus rei exemplum nobis præbet Vir integerrimus, Dominus Theophilus Man, Telonarius regius, honeſto genere oriundus; homo admodùm feſtivus, & ſalibus atque facetiis diffluens; in oppido Poole, loco maritimo, degens; quinquagenario proximus, & habitu mediocri præditus, biliofæ conſtitutionis. Hic vir, præter locum generando ſcorbuto accommodatum, in quo lares fixerat, victum quoque ſale affluentem, & cibos fumo induratos, quibus delectabatur, à ſcorbuticis parentibus genitus contractâ ſcorbuticâ labe, cujus indicia fuerunt maculæ & ſtigmata in cruribus conſpicua, difficultas anhelitûs, & alia; tandem advolantibus ad nos veris internunciis hirundinibus, incidit in tertianam duplicem, ſingulis diebus intermittentem, ſcorbuticis præ reliquis familiarem, quæ ipſum à meridie inter primam & ſecundam continuò invadebat. Appropinquante febrili acceſſione, toto corpore, ictericorum more, flavo colore tingebatur; adeò quidem intenſo, ut flaviorem me vidiſſe unquam non meminerim; qui poſtea in declinatione paroxyſmi, cum eo erum-

erumpentibus ſudoribus, penitus iterum evaneſcebat. Alvus huic viro erat mollis, & ſummè tincta excrementa. Variis uſus eſt medicamentis, cùm purgantibus, tum aliis ſcorbuto appropriatis; ſed ſine omni fructu; ægro, poſt quinque ſeptimanarum ægritudinem, fatis cedente. Habuit proculdubio hæc icteri ſpecies ortum ſuum non ex aliqua veſiculæ fellis obſtructione, ſed ex flavo humore in hepate, à colluvie ſcorbutica læſo, copioſiùs genito, qui paroxyſmi tempore efferveſcens, in totum corpus fuit effuſus, & cutem aurigine infecit.

OBSERVATIO XL.

Conſummatus hydrops curatus.

HYdrops omnis gravis eſt, periculoſus, & curatu difficilis morbus; eóque difficilior, quò magis conſummatus & inveteratus; quo miſta ſenum & juvenum, ut Poeta loquitur, denſantur funera; lethalis plerumque ſenibus, & debilioribus, quibúſque facultas naturalis eſt languida; juvenes verò & robuſti, εὔσπλαγχνοι & ſanis viſceribus prædити, faciliùs ſanantur, ſi modò debitè atque ex artis lege tractentur; id quod

 ſequenti

ſequenti exemplo confirmatur. Gener meus Johannes Buſhrod, Civis Dorcheſtrenſis, pannis laneis conficiendis victum quæritans, triginta circiter annos numerans, habitu mediocri, ad pleniorem tamen nonnihil tendente, temperamento ſuo ſanguineo cholericus, facie rubrâ atque jonthis & tuberculis ſquamoſis defœdatâ. Hic plurimis in victu commiſſis erroribus, imprimis verò vini, & Hiſpanici maximè, liberaliori potu, quod manè etiam jejuno ventriculo, neſcio cujus infelici conſilio, ad jonthos & faciei puſtulas curandas, pleno poculo haurire ſolebat; incidit in hydropem Aſcitem, à pedum tumore incipientem, qui poſtea tibias, deinde femora, permanentibus aliquandiu veſtigiis, tandem abdomen ipſum & ſcrotum invaſit, ita ut ſupra modum intumeſcerent, & nimiâ diſtenſione ruptura viderentur; accedente diſpnœâ, & ſiti immenſâ, hydropicis familiari, unde Horatius,

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Superior verò corporis regio, ut Comici verbis utar, oſſa atque pellis, miſerâ macritu-

dine,

dine. In hoc ſubjecto, vero perquam ſimile eſt, hepar obſtructum, & juſto fervidius, diſſipato calore nativo imbecillius redditum, in actione ſua defeciſſe, ità ut materia ſeroſa in potu & cibis humidioribus contenta, ab eodem minimè attraheretur, ſed in venis portæ & cavæ diutiùs hærens, indè præ copia in abdominis cavitatem, ſeu ſpatium illud, quod eſt inter peritonæum, omentum & inteſtina, per ramos epiploicos & gaſtro-epiploicos præcipuè effunderetur, undè venter in tantam molem accrevit. Etſi verò exiguam ſpem de ejus reſtitutione haberem, attamen humanum eſſe cogitavi, ut prodidit Soranus, in extrema quoque deſperatione conſtitutos minimè deſerendos eſſe, curam bonis avibus auſpicatus ſum, ſyrupo de Rhamno cathartico, ſeu ſpina cervina vulgo nominata, quem, quòd familiariter eo uti poſſimus, domeſticum vocant, cujus unicâ ſaltem unciâ ex ſero lactis vino albo ſegregato immediatè ante prandium, ex mente clariſſimi Riverii, propinatâ, egregiè fuit purgatus, rejectâ magnâ aquæ copiâ per alvum; ſuaſi itaque ut idem remedium die interjecto repeteret, ad ſeroſæ materiæ pleniorem evacuationem. Hac evacuatione præmiſsâ, ad reſerandas obſtructiones, quæ in eo plurimæ

erant,

erant, & humorem ſeroſum ſolvendum, præſcripſi apozema per octiduum continuandum. ℞ *rad. quinque aperitivarum, & filicis maris ana* ℥j. *Corticis mediani ſambuci, Iridis recentis ana* ʒvj. *Radicum aſari, corticum tamariſci, & capparum ana* ʒß. *Herb. agrimoniæ, cichorei, & capillarium ana M*j. *abſynthii, centaurii, ana p.* ij. *florum geniſtæ, ſambuci, thymi, ſingulor. p.* j. *ſeminum aniſi, fœniculi ana* ʒß. *paſſularum enucleatarum* ʒvj. *cicerum rubror. p.* ij. *fiat omnium decoctio in ſ. q. aquæ ad* ℔ij. *In colatura diſſolve ſyrupi de radicibus byzantini, & de Eupatorio ad* ℥ijß. *Miſce.* De quo aſſumpſit ℥iiij. pro vice, & tertio quovis die alvum eluit enemate ex decocto emolliente, additâ infuſione croci metallorum, & diaphænico. Abſoluto apozemate, ſeptimanatim purgatus eſt ſyrupo de ſpina cervina. Tempore verò intermedio bibit omni manè ℥iiij. de lixivio ex cineribus ſtipitum fabarum, geniſtæ, & abſynthii, cum aqua lumbricorum terreſtrium deſtillata, & vino albo per infuſionem parato, adjectá aquæ cinamomi portiunculâ; quibus remediis maxima aquæ quantitas detracta, cum manifeſta tumoris diminutione. Itaque impoſterum ad ſolvendas obſtructiones, & viſcera corroboranda, devoravit manè

manè ℥j. pilularum ex trochiſcis de rhabarbaro & abſynthio, nec non ſpeciebus diarrhod. Abb. & diatrion ſantal. addito etiam pulvere lumbricorum, & ſale martis, paratarum; ſuperbibendo aquam lumbricorum, quorum uſu ventris & pedum tumor omnino ſublatus. Tandem pro corroboratione, uſus eſt Electuario Diacubebe, & cyphoides Galeni invicem permiſtis; quibus paucis remediis, obſervatâ ſimul debitâ victûs lege, integrè reſtitutus, Gallum debet Æſculapio, Deo verò gratias, qui ſanavit infirmitates ejus, & vitam de interitu redemit; cui ſit laus & gloria.

OBSERVATIO XLI.

Hydrops à ſcorbuto curatus.

QUI corpus habent inæqualiter conſtitutum, & plurimis excrementis abundant, variis ut plurimùm tentantur morbis; cùm omnium ferè morborum origo ab excrementorum vel multitudine, vel qualitate dependeat. Hujus rei exemplum nobis præbet generoſa D^na^ Margareta Radford, Nobiliſſimi Viri D^ni^ Arthuri Radford conjux lectiſſima, cujus ſuprà mentio facta,

omnibus

omnibus penè morbis laborans. Hæc Scorbuticâ labe diu afflicta, quæ maculis in cruribus erumpentibus ſeſe manifeſtavit; præter alia mala, quorum Scorbutus eſt feraciſſimus, tandem incidit in Hydropem, ventre in ingentem molem elevato, cruribus etiam mirum in modum tumidis, cum dolorificis admodum inflammationibus in iis obortis. Huic generoſæ, in tanto vitæ diſcrimine conſtitutæ, cùm de ferendis pro virili ſuppetiis cogitarem; ecce nihil tale ſuſpicando incidit in Lienteriam; qua, præter cibos crudos, nihil aut parùm ab aſſumptorum conſiſtentia, colore, odore, aliiſque qualitatibus immutatos, liquida & ſpumoſa plurima, bis térve in hora, per octiduum dejecit, cum omnimoda ventris & tibiarum detumeſcentia; ſed maximâ ſpirituum jacturâ, & caloris nativi attritione. Ut igitur ſubtilis hæc cymba, quæ plurimam admittebat rimoſa paludem, reſarceretur, ſi Deo viſum fuerit, præſcripta ei fuêre edulia φλεγματώδεστατα, quæ in parva quantitate bene & ſatìs nutriebant, cùm majorum & potentiorum præſidiorum non eſſet capax. Nec omiſſa interim cardiaca, & præcipuum inter ea, quæ ſpiritus inſtaurant, vinum claretum non adulteratum, cùm crudum, tum uſtum,

cum

cum ſummitatibus roriſmarini, & cinamomi momento. Cereviſiæ verò pro potu ordinario indidit ramenta lignorum lentiſci, meſpyli, & radices tormentillæ, cum ſquama ferri puriſſima. Ad moderandum verò ventris fluxum immoderatum, inprimis adjuta fuit croco Martis corallino, ex metalli vitriolo ad roſeam rubedinem calcinato, ritè præparato, quem variis vehiculis exhibuimus. Semel etiam cum laudani grano; ſed idem ſecundâ vice exhibere ſum veritus, ob debilem virium ſtatum. Interim & clyſteres injecti ex jure capitis vitulini, cui roſæ rubræ, flores hyperici, & radices tormentillæ incocta erant. Hujus radicis magnam vim eſſe expertus ſum in partium tono conſervando poſt reſtaurationem, & in magnis fluxibus rara eſt ipſius virtus. Quod ad pedum tumores œdematoſos cum inflammationibus, qui multum moleſtiæ huic nobili ægræ creabant, iis ſubventum primò unguento magiſtrali nutrito, recipiendo minii vel lithargyrii auri vel argenti, nam perinde eſt, ℔j. pulveriſatis in vaſe terreo novo affunde aceti vini acerrimi ℔ij. & bulliant ad medietatis conſumptionem, ubi pulvis reſederit, liquor clarus coletur per chartam bibulam, cujus *Recipe* ℥iiij. *olei roſarum*

ſarum ℥ij. Camphoræ in oleo ſolutæ ʒß. Miſceantur lentè, & per gradus in mortareo marmoreo in unguentum liquidius, inſtar butyri tempore æſtivo; quo inunctæ fuerunt partes affectæ, & tibiæ, & involvebantur veſicâ bubulâ, vel tenui chartâ pergamenâ, ſive philuro. Ubi calor evanuerat, uſa eſt liquore aquæ vitæ ℔j. albuminis ovorum n°. vj. cum alumine invicem agitatorum; vel ſolo ſpiritu vini immediatè applicato, quo nihil magìs effectuale inveni ad calorem extinguendum. His paucis remediis Heroina hæc, cùm ab Hydrope, tum lienteriâ vindicata, deinceps ad reſtaurationem virium uſa eſt alimentis refectivis; ut conſummato capi, gelatinâ carnium, additâ ſcobe eboris, quæ ſola per longam coctionem dat gelatinam ut & cornu cervi, & aliis. Deo ſit laus & gloria.

OBSERVATIO XLII.

Hydrops Aſcites curata.

HYdropem faciliùs in ſervis quàm liberis tolli, autor eſt Celſus, Medicorum Cicero; quia cùm deſideret famem, ſitim, mille alia tædia, longámque patientiam; promptiùs

ptius his ſuccurritur, qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis eſt libertas; quod ſequenti obſervatione probatur. Paupercula quædam, cum Iro inopiâ certans, è pago Fordington, in vicinia Dorcheſtriæ ſito, quinquageſimum annum egreſſa, inciderat in hydropem, ex victûs erroribus, neceſſariis ad vitam ſuſtentandam deſtituta. Huic venter erat admodum tenſus, crura mirum in modum tumebant, ſpiritum ægrè trahebat, & ſiti premebatur. Marito conſilium meum implorante præſcripſi primò, ob ſummam egeſtatem, ſyrupum è ſpina infectoria immediatè ante prandium aſſumendum; quo magnam aquæ copiam per alvum dejecit. Atque ut ſumptibus parcerem, cùm tenuibus admodum inſtructa eſſet, juſſi, ut bis in die horis medicis biberet hauſtum Vini albi infuſionis umbellorum florum ſambuci, & ſpongiolarum ejuſdem in aere ſicco arefactarum; quo per dies duodecim continuato, & abſtinentiâ alîus potûs, quantum fieri poſſet; conceſſo tamen, ſiti urgente, cereviſiæ abſynthitis, ſive vini abſynthitis, hauſtulo, cui Thraces, Diaſcoride teſte, tantas vires tribuerunt, ut dixerint ὑγιείας ποιητικὸν εἶναι, cauſam ſanitatis eſſe, lib. 5. cap. 40. & Plinius libr. 27. hiſt. mundi, cap. 7.

integrè

integrè à tumore hydropico liberata fuit, cum omnium admiratione; pro quo tanto in eam collato beneficio Deo ſit honor & gratiarum actio in ſecula ſeculorum. Novi hydropicam quandam, cui venter in tantam molem excreverat, ut indies rupturus videretur, & ægra à Medicis pro deplorata fuerit habita; quæ tamen peregrini cujuſdam, fortè tranſeuntis, ſuaſu, ventrem manu demortui adhuc calente aliquoties demulcendo, ab hydrope, pauciſſimorum dierum ſpatio in totum fuit liberata; profuſâ tum per alvum, tum veſicam incredibili aquarum copiâ. An hoc factum ſit, imaginationis vi, an verò effluvio aliquo ex demortui corpore emanante, judicent alii.

OBSERVATIO XLIII.

Hydrops perforato vi naturæ umbilico curatus.

ÆGroti ſæpe ex maximis morbis, præter Medicorum opinionem, caſu quodam curantur; quod accidit virgini cuidam honeſtæ, Elizabethæ Speere, in oppidulo Beere natæ, ſed pro tempore cum amita ſua Fordingtoniæ in vicinia Dorcheſtriæ degenti, annos circiter viginti tres nu-

meranti,

meranti,habitûs corporis alioquin boni. Hæc ex menſium neſcio qua de cauſa, obſtinatâ obſtructione, incidit in hydropem Aſcitem, ventre in immenſam magnitudinem eleva- to, ut progredi ampliùs non potuerit; & à medicis, quorum operâ uſa erat, pro de- plorata haberetur. In extremis itaque ver- ſans, ſpiritúmque vix dum præ ſumma diſ- pnœa ducens, cùm moritura videretur, ſtatuit in patria vitam finire. In eum finem equo conſcenſo, non ſine ſumma difficultate ſecundo Dorcheſtriâ lapide egreſſa, utrùm equi concuſſione, an alia de cauſa, rupto umbilico, ſenſit aquam confertim in magna copia profluere; ut lipothymiâ imminente, progredi minimè potuerit. In tanto vitæ diſcrimine conſtituta, me vocari curat; ad quam in via humi jacentem cùm veniſſem, ſtatim aquæ profluvium immiſſâ in umbili- cum pervium turundâ prohibui, atque mi- ſellam cordialibus mecum allatis refocillavi, & ad amitam reductæ ventri, ad prohiben- da periculoſa ſymptomata, impoſui cata- plaſma ex radicum Bryoniæ ℔j. ſeminum lini, fænugræci, cumini ana ℥iiij: baccarum Lauri & juniperi ana ℥vj. Radicum althææ, Ireos ana ℥ij. ſummitatum ſambuci Mij. ficuum pinguium ℔ß. in cereviſia forti

coctis,& farinâ hordei & fabarùm inſpiſſatis; quod per totam curam continuavi,aquæ portionem indies detrahendo ad omnimodam ventris detumeſcentiam, umbilico tandem ſponte ſuâ coaleſcente. Interim toto morbi decurſu cardiacis viribus proſpectum, & viſcera poſtea roborata, ne recidivam incurreret. Sic priſtinæ valetudini reſtituta, paulò pòſt nupti, & rebus ſuis egregiè perfuncta eſt.

OBSERVATIO XLIV.

Hydatides curatæ.

MUlier quædam plebeia, Barbara Minterne vidua, quadragenaria, querula erat de dolore ventris, & hypochondriorum diſtenſione; cui, conſilium meum imploranti, exhibui drachmam mechoacæ cum ſcrupulo cremoris tartari, & granis quatuor reſinæ jallapæ; quo, ex ſero lactis cereviſiâ ſegregato, manè aſſumpto, egregiè fuit purgata, excretis ſimul quindecim veſiculis majoribꝰ minoribúsque, aliquibꝰ ovū columbinū magnitudine æquantibus, aquâ limpidâ refertis; & nullis aliis remediis aſſumptis, inopiâ cogente, & rerum neceſſariarum defectu,

ctu, perfectè fuit reſtituta. Vero perquà ſimile eſt, h.s veſiculas accidiſſe ſeroſo humore, quæ medicorum opinio eſt, cum ſanguine ad capillares venas, quæ viſceribus & partibus inferioribus ventris inſeruntur, delato, ibíq; exitum quærente; quem cùm ob denſitatem membranarum non inveniret, veſiculæ hæ fuerint excitatæ.

OBSERVATIO XLV.

Lien ſuppuratus lethalis.

ETſi hepar frequentiùs inflammatione conflictetur, & Lien ſcirrho potiùs laborare ſoleat; interim & ipſum ſæpe, licèt rariùs, inflammari contingit: Majus verò eſt Hepatis, utpote nobilioris, quàm Lienis malum. Unde ſi ambo viſcera inflammationem patiantur, ex Hepatis inflammatione majus periculum imminet, quàm ſi Lien inflammetur. Etſi verò hæc opinio pugnare videatur ſententiæ Hippocratis, ſcribentis aph. 34. ſect. 2. In morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, habitui, aut ætati, aut tempori, magìs cognatus eſt morbus, quàm quibus nulli horũ cognatus eſt; attamen præſtantia Hepatis plus poteſt, quàm Lienis diſpoſitio. Quodſi verò hoc viſcus interdum

inflammetur, non minus periculum imminere videtur; cùm pernicioſum ſit omne malum, quod diſſimile eſt, ob ídque majori de cauſa provenit. Inſtantiæ loco ſit, Vir ſtemmatis claritate & virtutum decore illuſtris, atque ad omnium voluntates devinciendas ipſis Gratiarum manibus factus, D^nus^ Thomas Trenchard Armiger, Nobiliſſimi D^ni^ Thomæ Trenchard Equitis aurati ex aſſe hæres, ætatis conſiſtentis, temperamenti melancholici, habitûs gracilis & rari, ſpleneticus, hæreditario quodam jure à parentibus derivato, acutiſſimis ventris doloribus, colicæ æmulis, crebrò moleſtatus. Hic nobiliſſimum affinem D^num^ Johannem Bulkley, Armigerum meritiſſimum, Burgate in comitatu Hamptonienſi inviſurus, eo loci profectus incidit in febrim continuam ſatìs acutam, cùm vigiliis, & ſiniſtri hypochondrii dolore, ad humerum uſque tendente, in quo acerbos admodum dolores paſſus eſt, ut de nullis aliis eſſet querulus. Adhibito itaque in conſilium Medico, Saro, Epiſcopali ſede, evocato, ad octo circiter milliarium diſtantiam, venæ ſectio inſtituta baſilicæ dextræ; neglectâ rectitudine, quam obſervare ſolent practici; præmiſſo tamen pro more clyſtere, julapia quoque & alia exhibita; quibus nihil proficientibus,
ſed

ſed malo in pejus ruente, me quoque Dorcheſtriâ ad ſe per ſervum accerſiri curat. Conſcenſo equo, quinque milliaria progreſſus, ab alio ſervo, in via obviàm facto, iter differre juſſus, quòd Herus meliùs haberet; domum revertor hyeme validiſſimâ, ſolſtitio proximâ, nive omnibus caneſcentibus. Quid fit, elapſo ſolùm die iterum vocor, quòd eſſem ei ordinarius; ſed antequam ad eum pervenire poteram, morbo ſuperatus, naturæ ſatisfecit; dignus ſanè, quem nec morbus ullus, nec ſenectus ipſa unquam attigiſſet. Diſſecto à morte corpore per chirurgum, omentum in ſe convolutum, & umbilicum versùs ad formam orbiculi conglobatum invenimus. Lienem verò totum putrefactum, & parte internâ penè abſumptum, malè adeò materiâ, picis inſtar liquidæ, nigrâ, fœtente, ut minimè eſſemus ferendo. Hepar etiam, ſimâ ſui parte, in conſortium malignitatis raptum erat, ubi putredine corripi incipiebat. Reliqua ſalva conſpiciebantur. Atque hic fuit hujus nobiliſſimi Viri triſtis & immaturus exitus, quem hiſce unguibus ſi fieri poſſit, eruerem. Sed felix ille qui ſic diſceſſit; quando hac ſorte naſcimur omnes, nihílque diuturnum in rebus humanis, nedum perpetuum. Vivit in Nobi-

liſſimis filiis pater defunctus, quos Deus quàm diutiſſimè ſoſpites conſervet, in patriæ ſuorúmque bonum uberrimum. Proculdubio in hoc nobili ſubjecto, omentum vitioſos à Liene humores in ſe ſuſcepit; cùm iis tantùm partibus adhæreſcat, ad quas rami ſplenici ſurculi perveniunt; unde toties acutiſſimos dolores, colicæ æmulos, perpeſſus eſt in ſiniſtro hypochondrio, & præſertim in cavitate illa omenti ſub diaphragmate, ex ventriculi, omenti, coli & viſcerum connexu orta, & vix exitum habente.

OBSERVATIO XLVI.

Inveteratus Lienis ſcirrhus.

NUllum eſt in humani corporis fabrica viſcus ſcirrhoſis tumoribus magis opportunum Liene; ídque ſummi Dictatoris libr. de morb. mulier. edicto, ob raram ejus & ſpongioſam ſubſtantian, hauriendis & excipiendis fæcibus, atque craſſæ ac lutulentæ ſuccorum illuviei aptiſſimam. Qui hujuſmodi tumoribus infeſtabantur, à veteribus propriè Lienoſi nominabantur. Unde Leno ille Cappadox, in Plauti Curculione, Nunc jam, inquit, quaſi zona Liene cinctus ambulo,

ambulo, Geminos in ventre habere videor filios. Nihil metuo, niſi nè medius diſrumpar miſer. Talis erat ſpectabilis Viri, D^ni Richardi Savage, in urbe Dorcheſtrenſi Senatorii ordinis, pannis laneis vendendis quæſtum facientis, Conjux lectiſſima, proceræ ſtaturæ matrona, annos ſupra quinquaginta nata; Hæc à multis retro annis querula erat de Lienis quodam dolore; quo neglectim habito, cùm non impediretur à domeſticis muniis obeundis, factum eſt, ut Lien officio ſuo pro debito minimè fungeretur; unde vitioſis & melancholicis humoribus in eo cumulatis, paulatim intumeſcere, & indies indureſcere cœpit, tenuiore humorum parte vi caloris reſolutâ, donec tandem perfectam abſolutámque duritiem, tactu palpabilem, acquireret; nullo percepto, etſi digitis fortiùs comprimeretur, dolore. Huic facieï color lividus erat & plumbeus, qualis illorum in Caria, Aſiæ minoris primâ regione, quos ideo Stratonicus Cytharedus, mortuos ambulare dicebat, quòd lienoſi erant omnes. Cor eidem crebrò palpitabat, ſpiritibus tenebræ non raró offundebantur, tetrá anathymiaſi ſurſum elatâ. Quibus omnibus complicabatur Scorbutus, maculis ſeſe & ſtigmatibus per intervalla in cruribus,

magno numero erumpentibus, prodens, cum totius atrophia. Etſi verò hanc matronam pro incurabili haberem, quòd omnis ſcirrhus cùm lienis, tum aliarum partium, medicam manum recuſet; attamen rogatus ut curam periclitarer, ut aliquid agerem, quod ſi non proſit, ſaltem non noceat; præmiſſâ primarum viarum evacuatione, parcam hæmorrhoidum apertionem, malo exiſtente inveterato, per hirudines inſtitui. Fonticulum quoque in ſiniſtri cruris parte domeſtica, plurium piſorum capacem, à Chirurgo affigendum curavi. Ad humores verò in Liene impactos, ſi fieri poſſit, digerendos, cùm alia faſtidiret, præſcripſi brodium alteratum linguæ Cervinæ, Ericæ, Ceterach, Meliſſæ, capillorum Veneris & Epithymi ana M ß. Corticum radicum Capparum, & filicis ana ℥iij. Radicum Cichorii ℥ij. cujus aſſumpſit bis in die hauſtum, diſſolvendo in quovis drachmam pulveris ℞ *Cremoris tartari, tartari vitriolati & faculæ bryoniæ ana* ℥j. *Magiſterii corallorum* ℈ij. *ſalis geniſtæ, & fraxini ana* ʒß. *Miſce, fiat pulvis.* Finitâ digeſtione purgata fuit pilulis tartareis Quercetani, adjecto Mercurio dulci, & reſinâ jalapæ; unde alvus pluries cum εὐφορίᾳ commota. Digeſtione & evacuatione repetitâ, aggreſſa eſt

ſtadi-

ſtadium chalybeatum, in quo maximè curationis cardo verſari videbatur; aſſumendo ſingulis matutinis ℥iij vel iiij.liquoris Tartaro-martiati, mihi multâ experientiâ probati, cum aqua filicis facti, juſculo aperitivo diluti; alvum tertio quovis die pilulis de Ammoniaco detrahendo. Pro potu ordinaria uſa eſt cereviſiâ, medicatâ ligno fraxini, tamariſci, radicibus filicis & herbâ chamædryos; cui inſuper injecta erant ferri fruſtula, quam hauſit, additis ſuccis antiſcorbuticis, quibus etiam pro embammate crebrò uſa eſt. Interim & topica Lieni applicata, fotus imprimis ex radicibus althææ, liliorum alborum ana ℥iſs. Herbarum emollientium ana Mij. Ceterach, Scabioſæ, acetoſæ ana Mj. Corticum radicum capparum ℥ſs. Florum tamariſci, geniſtæ ana Pij. ſeminum Lini, & fænugræci ana ℥ij. agni caſti ℥j. in aqua calcis, adjectâ aceti portione, coctis. A fotu applicatum emplaſtrum de cicuta cum ammoniaco, addito pulvere pyritis, & croci metallorum. His longo tempore continuatis parum profecimus, quòd tumor, ob ſummam duritiem, adhibita minimè ſentiens, nullam admitteret reſolutionem. Conſenuit ægra hoc tumore ſine inſigni incommodo, lentâ febri tandem extincta.

OBSER-

OBSERVATIO XLVII.

Scorbutus conſummatus lethalis.

SCorbuti, barbaro & ficto nomine, ex Danica & maritimæ Germaniæ lingua deprompto, ſic dicti, nulla, quod ſciam, apud veteres ſit mentio; adeò ut multi dubitent, an priſci ullam illius habuerint notitiam, eúmque novis morbis, æquè ac monſtra, annumerandũ eſſe cenſeant; quẽ tamen Plinius, locupletiſſima illa, velut alterũ copiæ cornu, veterũ autorũ bibliotheca, olim ſub Cæſare Germanico in Germania in milites ſævîſſe; & ab ejus ſeculi medicis στομακάκην & σκελοτύρβην nominatum fuiſſe: antea etiam Strabo, Gallorum in Arabia exercitum diris calamitatibus afflixiſſe, ſcribunt. Sed & ante utroſque venerandus medicorum coryphæus Hippocrates eundem, ſub volvuli ſanguinei nomine, quaſi penicillo delineavit; adeò quidem ut nec ovum ovo ſimilius ſit, ac morbus ille Scorbuto. Rarus erat tunc temporis, fateor, morbus hic; cujus ſeminaria hoc ævo longè latéque ſunt ſparſa; adeò ut longè ſit, quàm olim, familiarior; & ferè omnibus morbis complicatus, eos frequentiſſimè mentiatur.

iatur. In hoc affectu humor melancholicus, craſſus & fæculentus, ſero dilutus, pravam & maliguam qualitatem, ſcorbuto propriam, adeptus eſt; quæ corporis Oeconomiam, imprimis verò partes, nutritioni ancillantes, crudeliter evertit & peſſundat. Malum hoc, variis & horrendis ſymptomatibus ſtipatum, in principio, cùm vitium ſolùm in humoribus conſiſtit, medicam manum facilè admittit; quodſi verò radices egerit, & inveteratum pravam diatheſin viſceribus impreſſerit, omnem ferè medelam reſpuit; quod ſequens exemplum abunde teſtatur. Vir ſummo ingenio, judicio accurato, affabilitate & comitate nulli ſecundus, literis quoque feliciſſimè excultus, D[nus] Guilielmus Whiteway in Urbe Dorcheſtrenſi magiſtratûs munere & dignitate cum ſumma laude & commendatione omnium perfunctus, ætatis conſiſtentis, ſtaturæ proceræ, habitûs pleni, faciei ex pallido liveſcentis & quaſi plumbeæ, temperamenti melancholici, lienis dyſcratiæ obnoxius, & ab annis aliquot ſcorbuticâ labe inquinatus, quam maculæ & puncta liveſcentia, qualia à pulicum morſu relinquuntur, ſinguiis fere annis, ſine alio graviori incommodo, in cruribus, infinito numero effloreſcentia, certo indicio innuebant; hic

hic cùm forſan, bene alioquin habens, recreationis cauſâ cum amico quodā extra urbem prodeambulâſſet, curſu cum eo monte acclive pro præmio certaturus, concitatiore ſolito corporis motu præcurrere niſus eſt; unde ſequenti nocte in gravem incidit catarrhum, cum tuſſi vehementiſſima; qua plurima rejecit pituitoſa, quam poſt dies aliquot excepit diſpnœa, ad leviſſimum corporis motum incandeſcens, ut animam ſtatim redditurus videretur, accedente etiam frequenti cordis palmo, cum crurum intumeſcentia, quæ indies aucta ventrem tandem in maximam molem extentum elevavit, ut in ſingulas horas rupturus videretur; Uſus erat in principio morbi Paſtoris cujuſdam, medicinam profitentis, operâ, qui variis pectoralibus adminiſtratis, nihil quicquam profecit. Malo verò novorum accidentium acceſſione in pejus ruente; in conſilium accitus, conſideratis omnibus circumſtantiis, Scorbutum ſublatere, nec ægrum, ſi modò curabilis ſit, ſine antiſcorbuticis curari poſſe, pronunciavi. Mox rogatus, ut curam in hoc viro optimo tentarem, habitâ totius œconomiæ, inſigniter labefactatæ, ratione, facto tamen priùs prognoſtico difficillimæ reſtitutionis, eam auſpicatus ſum apozemate laxativo ℞ *Radicum*

dicum Ariſtolochiæ rotundæ, cichorii, petro-ſelini, à matricibus mundatarum, corticum radicum ſambuci, & ebuli, omnium per noctem in aceto maceratorum ana ℥ß. Glycyrrizæ raſæ ʒvj. Tuſſilaginis viridis Mj. Herbarum cochleariæ, Naſturtii, Becabungæ, fumariæ, ſcolopendriæ, hyſſopi ana Mß. florum cordialium ana Pij. paſſularum exacinatarum ℥ß. foliorum ſenæ ℥j. Seminum aniſi, carui ana ʒj. Cinamomi ℈ij. infundantur per noctem in aquæ trifolii fibrini, & naſturtii aquatici ana ℔j. Manè poſt levem ebullitionem fiat colatura, in qua diſſolve Syrupi ſcelotyrbici & cichorei cum Rhabarbaro ana ℥ij. Cremoris tartari ʒj. Aquæ cinamomi ʒiij. Miſce, fiat Apozema, pro quinque vicibus. Quo abſoluto, elapſo triduo purgatus eſt ſyrupo domeſtico ſuperiori decocto permiſto. Cùm verò, ob virium imbecillitatem, evacuantium non eſſet amplius capax, Enematum uſu impoſterum, quoties opus erat, alvum ſollicitavit. Interim ad ſeroſam colluviem per urinas eliminandam, uſus eſt lixivio ℞ *Cinerum geniſtæ & ſtraminis fabarum ana ℥j. Radicum ireos florentinæ ʒvj. Lumbricorum terreſtrium pulveriſatorum ℥ß. Seminum aniſi, Cinamomi ana ℈ij. Infundantur in aquæ antiſcorbuticæ ℔j. & aquæ taraxaci æquali quantitate.* ℞ *Ra-*

dicum

dicum raphani ſylveſtris ℔j. *polypodii quer.* ℥iſ. *Corticum radicum capparum, fraxini, tamariſci ana* ℥vj. *Citri* ℥ſs. *Succi cochleariæ, naſturtii, nummulariæ, becabungæ, fumariæ, boraginis, chelidoniæ majoris, agrimoniæ, cardui benedicti, abſynthii, ſambuci ana* ℔j., ℥iiij. *Herbarum chamædryos, chamæpyteos ana* Mj. *trochiſcorum de capparibus, dialaccæ ana* ℥ij. *Seminis erucæ, cochleariæ, cardui Mariæ, Aquilegiæ ana* ℥vj. *florum calendulæ, geniſtæ, hyperici, ſambuci ana* Mß. *Vini Rhenani* ℔vß. *fiat infuſio per iiij. dies, & deſtilla in MB.* Aſſumpſit autem lixivii dicti ℥iiij. pro vice. Ad ſputi verò facilitatem uſus eſt linctu ex pulpa radicum tuſſilaginis & ſucco becabungæ, adjecto ſaccharo, compoſito, interdum cylindris de farfara. Pro corroboratione, aſſumpſit tabellas ex ſpeciebus diarrhodon, diatrion ſantalon, & aliis paratas. Emplaſtra quoque ventri impoſita. Sed morbi magnitudine ſuperatus, vitæ tandem finem fecit, omnibus deſideratiſſimus.

OBSERVATIO XLVIII.

Scorbutus confirmatus.

SCorbutus inter morborum myriades, ſub omnium ferè malorum larva, corpora noſtra

noſtra aggredi ſolet; nec ullus alius eſt, quòd ſciam, qui tanto & tam vario graviſſimorum ſymptomatum ſatellitio ſtipatus incedat. Hæc multorum capitum hydra mordicus hærebat lateri conjugis nobiliſſimi Viri, Dni Roberti Napper, armigeri, de Poncknol, clarâ familiâ oriundæ, quinquagenario proximæ, gracili corporis habitu, & calidâ quoad viſcera naturalia conſtitutione. Conquerebatur enim de totius laſſitudine; triſtis erat & meticuloſa; ventriculus cibum averſabatur; nauſeâ & vomitu crebrò affligebatur; alvum nunc duram, nunc laxam habebat; deliriis melancholicis moleſtabatur; noctu calebat, ſudoribus diffluebat, livebat facies tota inflata; febri continuâ, quarto quovis die ingraveſcente, infeſtabatur; totum verò atrophiâ contabeſcebat. Urinæ erant variæ, utplurimùm craſſæ, ſedimentum craſſum & rubrum, inſtar farinæ laterum, habentes. Etſi verò in hac Heroina nulla apparerent Scorbuti ſigna pathognomonica, attamen multiplicium ſymptomatum συνδρομὴ & farrago id ipſum luculentiſſimè mihi evincere videbatur. Quæ fuerint generationis primordia à parentibus derivata, ſcire non potui. Solent enim Scorbutici Scorbuticos generare. Aër tamen

mari-

maritimus, in quo degebat, huic malo generando potuit eſſe ſatis; præſertim ſi mala victûs ratio acceſſerit: in qua fœmininus ſexus, appetitui potiùs quàm rectæ rationi auſcultans, plurimùm delinquere ſolet. In hoc affectu complicatiſſimo, viſcerum vitio & coctionibus depravatis magnam humorum crudorũ, imprimis melancholicorum, colluviem in meſenterio, omento, primis viis locíſque inter ventriculum, hepar & lienem mediis & utrique viſceri vicinis, accumulatam fuiſſe, vero ſimile eſt; quæ poſtea peculiarem quendam, & Scorbuto proprium malignitatis gradum adepta, ſanguini fuit communicata, & ipſis quoque viſceribus malignam labem impreſſit; unde in Microcoſmo variæ illæ & horrendæ turbæ & tempeſtates excitatæ. Etſi verò ob virium languorem, reſtitutio in hac Heroina vix eſſet expectanda, nihilominus tamen ad tempus aliquod ei ſuccurrendum eſſe duxi; & in eum finem, habitá febris ratione, venæ ſectionem ſuaſi, vel ſaltem venarum ſedalium apertionem; ſed neutram ullo modo admittere voluit. Sequentem itaque potiunculam propinavi ad primarum viarum everriculum, & alvinæ ſentinæ deturbationem: ℞ *Radicum polypodii* ℥ß. *epithymi* ʒiij. *cochleariæ*

Pij.

Pij. foliorum ſenæ ℥iij. ſeminum fœniculi dulcis ℈iiij. infundantur per noctem in ſ. q. ſeri lactis : Manè, poſt unicam ebullitionem, fiat expreſſio cum colatura, in cujus ℥iiß. diſſolve Syrupi magiſtralis ad melancholiam & mannæ ana ℥vj. Cremoris tartari ℈j. M ſce, fiat potio ; quá hauſtâ, leniter ſuit purgata. Indè ad humores præparandos, & obſtructiones reſerandas aſſumpſit Apozema. ℞ *Radicum filicis, Cichorii, Rhubiæ, fœniculi ana ℥j. Corticum tamariſci, fraxini, capparum ana ℥ß. Herbarum agrimoniæ, fumariæ, ceterach, phyllitidis, becabungæ ana Mj. Summitatum abſynthii Pij. Seminum aniſi, fœniculi dulcis, aquilegiæ, petroſelini ana ℥ij. florum borraginis, bugloſſi, geniſtæ ana Pj. fiat omnium decoctio in ſ. q. aquæ, addendo ſub finem vini Rhenani ℥iij. Colatura aromatiſetur ſantalo citrino, & Cinamom. ℈j. Cujus ℔j. adde ſyrupum de ſcolopendria, fumariæ compoſ. & cichorii cum Rhabarbaro ana ℥jß. ſucci cochleariæ depurati ℥iiij. Miſce, fiat Apozema :* cujus doſis erat ℥iiij. Hoc abſoluto, per binas ſeptimanas uſa eſt Eſſentiâ antiſcorbuticâ ex ſpiritu trifolii fibrini, & cochleariæ mixtis, & extractis eorum adjectis, compoſitâ, & in vaſe circulatorio per dies aliquot in rubicundam eſſentiam

digeſta; cujus aſſumpſit ℥j. pro vice, aquâ becabungæ & naſturtii aquatici dilutum. Pro viſcerum verò corroboratione, præſcriptum fuit Electuarium, ℞ *Conſervæ fumariæ, cochleariæ ana* ℥j. *Conſervæ borraginis, florum geniſtæ, meliſſæ ana* ℥ß. *Corticum citri condit.* ℨvj. *ſpecierum Diarrhodon Abbatis, pulveris hepatici noſt. ana* ℈ij. *ſpecierum diatrion ſantalon, Trochiſcorum de capparibus ana* ℨß. *ſalis cochleariæ & abſynthii ana* ℈j. *Syrupi acetoſitatis citri q. ſ. Miſce, fiat Electuarium.* Pro potu uſa eſt cerevifiâ mediocri, ſuccis antiſcorbuticis medicatâ. His per aliquod tempus vitam ſuſtentavit; donec tandem, hydropis primordiis accedentibus, ſymptomatum mole gravatâ, extremum ſpiritum exhalaret.

OBSERVATIO XLIX.

Scorbutus confirmatus ſingulis annis recurrens.

SCorbutus inter morbos Saturninos, chronicos, & curatu difficillimos numeratur; qui, ſi ſimilem viſceribus diſpoſitionem impreſſerit, vix unquam penitus eradicari poteſt, etſi malitia ejus debitis remediis ſæpe in-

infringatur; atque ob eam cauſam, vel ſingulis annis, vel longiore temporis intercapedine, datis aliquibus induciis, pro victûs ratione, & aliis circumſtantiis, de novo claſſicum canit; nunc iiſdem, nunc aliis ſymptomatibus ſtipatus; & eo laborantes, fœminæ præſertim, per plures annos vitam protrahunt; quòd iis per catamenia ſcorbuticæ colluviei pars menſtruatim evacuetur. Inſtantiæ loco ſit omnigenarum virtutum decore inſtructa Matrona, Dna Maria, nobilis ac ſtrenui Viri, Dni Roberti Pelham, de Pago Compton, conjux lectiſſima, quadraginta circiter annos nata, ſtaturâ mediâ, habitu corporis mediocri, ſed cachectico. In hac Scorbutus per multos annos latens annuatim nunc vere, nunc autumno erupturiebat, niſi debito remediorum apparatu inſultus præcaveret. Conquerebatur autem invaſionis tempore de totius corporis laſſitudine & gravitate, cum ineptitudine ad motum, anhelitûs difficultate, lumbagine, appetentiâ dejectâ, crurum œdematoſo tumore, maculis & exanthematibus in iis efflorеſcentibus, facie inflatâ & pallidâ. Etſi verò in hac matrona, malo exiſtente inveterato, & viſceribus labefactatis, nulla perfecta cura eſſet ſperanda, attamen verno & autumnali

tempore eam fauſto Apolline ſublevavimus Apozem.te digeſtivo: ℞ *radicum polypodii quercini, cichorei, petroſelini ana* ℥j. *Scorzoneræ* ℥ß. *corticum tamariſci, capparum ana* ℥ß. *glycyrrhizæ raſæ* ʒvj. *Herbarum ſcolopendriæ veræ ſive Ceterach, & fumariæ ana* Mj. *Cochleariæ, becabungæ ana* Mß. *Epithymi* ʒij. *Abſynthii Romani p.* ij. *ſeminum aniſi* ʒij. *paſſularum exacinatarum* ʒvj. *fiat omnium decoctio in ſ. q. aquæ ad* ℥xx. *cum colatura, cui adde ſyrupi de ſcolopendria, fumaria, & epithymo ana* ℥jß. *Miſce, fiat Apozema pro quinque vicibus.* Abſoluto hoc, inſtituimus evacuationem per pilularum Elixir tartarearum, & ſtomachicarum cum gummis ana ℈j. adjectis reſinæ jallapæ granis tribus; quibus diluculo devoratis, ſatis & cum εὐφορίᾳ alvus ſubducta. His præmiſſis, ad antiſcorbutica devenimus, pilularum formâ, ob ventriculi reluctantiam, exhibita; habito ſimul corroborationis viſcerum reſpectu. ℞ *pulveris Ari compoſiti* ℥j. *Corticis Winteranæ* ʒij. *ſpecierum diarrhodon abbatis, diatrion ſantalon, trochiſcorum de capparibus ana* ℈ij. *dialaccæ* ℈ijß. *Salis Martis* ʒß. *ſalis cochleariæ, abſynthii ana* ℈ß. *Extracti trifolii fibrini q. ſ. Miſce, fiat maſſa, ex qua formentur pilulæ inſtar piſorum;* quarum aſſumpſit quatuor omni

ni manè, ſuperhauſtâ ℥j. ſpiritûs trifolii aquatici, aquâ cochleariæ diluti. Interim injuncta quoque proba victûs ratio, & potus medicatus: ℞ *Raphani ruſticani* ℥xij. *Radicum helenii, ſeminum erucæ, petroſelini Macedonici ana* ℥jß. *Radicum Ireos Florentinæ, & corticum Winteranæ ana* ℥j. *Bulliant in cereviſiæ recentis congiis quatuor, ad medietatis conſumptionem; tum adde cereviſiæ recentis congios iiij. ſucci cochleariæ* ℔j. *Abſynthii q. v. Infundantur vaſi, cum flore cereviſiæ, ad fermentationem.* Cereviſiâ hac uſa eſt, poſt ſex dierum ætatem, pro potu ordinario; interdum ſolis ſuccis cochleariæ, naſturtii aquatici, & becabungæ, cum cereviſia mixtis uſa eſt. His paucis annuatim uſurpatis, cauſa morbifica, licèt non fuerit penitus attrita, ſaltem aliquatenus enervata ſeriabatur, ut ægra ſine magno incommodo rerum ſuarum ſatageret. Metuendum tamen, ne menſibus per ætatem ceſſantibus, malum ingraveſcat, ægrámque tandem jugulet.

OBSERVATIO L.

Calculus in renibus.

ETſi totius Medicorum chori unanimi conſenſu, in omnibus ferè corporis partibus calculi quandoque generentur, ut ſuprà oſtenſum ; Nullibi tamen frequentiùs, quàm in renibus & veſica gignuntur. Nempe qua ratione in Macrocoſmo quorundam fontium aquas in lapides & ſaxa converti ; alias, quod in comitatu Oxonienſi videre eſt, quæcunque injiciuntur, ligna, ſtipites, animalia, paucorum dierum ſpatio, cruſta lapidea obducere ; liquores itidem in quorundam fontium cavernis, ut fit in agro Briſtolienſi, in gemmas, ſtrias & pyramidales columnas concreſcere videmus : ut de Ciconibus Thraciæ populis, ad Hebrum fluvium habitantibus, apud Ovidium videre eſt, his verſibus ;

Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera, quod totis inducit marmora rebus.

Et Vadianus in comment in libr. 1. Melæ, ex Alberto citat, qui viderit Chirothecam immer-

immerſam in quodam Germaniæ fonte lapideam factam fuiſſe. Similem habuiſſe ſcribit Gem. Friſius, Fridericum Imperatorem à ſe merſam in quodam Gothiæ fonte. Pariformi ſanè ratione, in Microcoſmo calculos in renibus & veſica coagulari & generari, vero ſimile eſt. Scilicet ut Plaſtes ex argilla & ſabulo lateres & vaſa fictilia fingunt, quæ tandem in clibano, ignis fervore, in lapidis duritiem ſiccantur; ità ſpiritus renum lapidificus, ex materia diſpoſita, & ſucco lapideſcente, alimentorum ſalino acumine turgidorum, fæculentiâ genito, imprægnata, in renibus & veſica, tanquam in clibano, internâ vi & virtute ſuâ calculos coagulat, eóſque variæ magnitudinis, coloris & formæ. Multi mihi occurrerunt in praxi mea, calculis renalibus laborantes; ſed nullus, qui plures paroxyſmos paſſus ſit, & frequentiùs hujus mali carnificinâ emaceratus fuerit, adeò ut vix triduum per aliquot annos ab ejus crudeli tyrannide immunis eſſet, ac ſpectabilis Vir, D^nus^ Johannes Eyres, cui Deus lares fixit in inſula Purbeciana, octuageſimo proximus, ſtaturâ procerâ, & habitu pleno ac carnoſo, temperamento ſanguineo-bilioſo. Conquerebatur autem paroxyſmi tempore de acerbiſſimo re-

num & ilium dolore, nunc dextram, nunc ſiniſtram partem crudeliter lancinante, cum urina pauciſſima, eáque utplurimùm cruenta, interdum etiam penitus ſuppreſſa; accedente nauſeâ, & enormi vomitu. Ab hoc viro, optimo ſanè, & meliori fortunâ digno, rogatus, ut ei operam meam medicam locarem, & in tantis dolorum tormentis, ſi fieri poſſit, ſubvenirem; ſuaſi, ut omiſſis diureticis & lithontribis, quibus vulgi conſilio uſus erat, quæ vitioſos humores in primis viis hærentes, ad renes deducunt, ipſúmque calculum in anguſtas urinæ vias præcipitant, & impingunt; verno & autumnali tempore quotannis lenem inſtitueret evacuationem materiæ calculoſæ, antequam ad renes perveniret; intermedio quoque ſpatio ſingulis ſeptimanis, vel ſaltem menſibus, drachmam pilularum de terebinthina Cratonis devoraret. Interim urgente paroxyſmo, autor ipſi fui, ut alvum elueret humectante & emolliente Enemate, atque ſimili uteretur fotu, ac litu cum axungia cuniculi, ſucco parietariæ cocta; ut his viis laxatis, patentioribus, & lubricis redditis, calculus cum minori difficultate & dolore excerni poſſit; in eundem finem internè uteretur oleo amygdalarum, ex decocto radicum

cum althææ, ſyrupo ejuſdem dulcorato, addito ſucci limonum tantillo. Interim ſuaſi, ut ſingulis matutinis, non interrupto filo, biberet infuſum ligni nephritici in aqua lactis, adjecto Vini Rhenani tantillo; pro potu etiam ordinario cereviſiam hauriret ſeminibus dauci imprægnatam, in qua lignum nephriticum eſſet infuſum; quibus duobus remediis longo tempore continuatis, tantum effecit, ut qui ſeptimanatim Nephritidis æſtu efferveſceret, poſthac vix unum aut alterum paroxyſmum, eúmque leviorem quàm antea, per integrum annum pateretur. Hujus ligni efficaciſſimis viribus præditi efficaciam in aliis quoque renum affectionibus, urinæ difficultatibus, jecoris & lienis obſtructionibus detentis, obſervavi.

OBSERVATIO LI.

Urinæ omnimoda ſuppreſſio à calculo, lethalis.

CAlculus renum, omnium medicorum ſuffragio, ſtatuitur morbus periculoſiſſimus; cùm graviſſima inferat mala; imprimis verò urinæ ſuppreſſionem, ubi ab eo ureteres obſtruuntur. Id quod, proh dolor! accidit

accidit Viro, quem ob ſtemmatis non tantùm claritatem, ſed & morum & vitæ elegantem civilitatem, harmoniam & concentum ſuaviſſimum, amanter complexi ſunt omnes; in quo mirâ bonitate & gravitate pietas & virtutes multæ concertabant & conſpirabant, Nobiliſſimo Domino Thomæ Trenchard, Equiti aurato, ſeptuagenario, proceræ ſtaturæ, habitu corporis craſſo & obeſo. Erat autem in victu admodum incautus, Vino albo Gallico aſſuetus, cujus aſſumere ſolitus erat hauſtum ante ſingulos paſtus. Hic cùm frequenter dolore nephritico admodum vehementi, ex calculo renum, cui adulti maximè ſunt obnoxii, ut pueri magìs veſicæ calculo infeſtantur, affligeretur; quorum plures per intervalla excrevit; eundem tandem dolorem graviſſimum incurrit, cum vomitu primò pituitoſo, poſtea etiam bilioſo vario, & urinæ omnimodâ à calculo ureteribus impacto, majori forſan, quàm tranſire poterat, ſuppreſſione. Dolebat autem rene ſiniſtro tantùm; ut mirari ſubeat, quòd urina nulla per renem dextrùm in veſicàm flueret. Nec enim ullam gràvitatem aut dolorem in dextra lumborum regione percipiebat. An ob imbecillitatem renum, dexter officio ſuo non perfungebatur;

fungebatur; an potius per ſympathiam & condolentiam factum, quò minùs urina per renem dextrum proflueret? Huic Viro Nobiliſſimo meíque amiciſſimo, ſæpius in nephriticis dolorum tormentis feliciter medicinam feci. Nunc iterum vocatus, quibus poteram remediis, cùm internis, tum externis, clyſteribus, fotibus, linimentis, dolorem ſedantibus, & flatus diſcutientibus, emollientibus, relaxantibus, adhibitis etiam cucurbitulis ſine ſcarificatione, & aliis, Viro huic nobiliſſimo ſuccurrere laboravi, ſed fruſtrà & ſine ſucceſſu; ægro tandem à lotii retentione toto corpore tumido, & anheloſo, nono invaſionis die fatis cedente. Hujus corpus à morte libenter ſecaſſem, ſed impetrare non potui.

OBSERVATIO LII.

Calculi in renibus concreti lethales.

RENES & veſica, autore Montano, ubi ſemel aut bis afficiuntur, ut plurimùm redduntur imbecilliores, & noxis promptè ſuſcipiendis aptiores. Imprimis verò, qui calculum aut urinæ difficultatem, vel totam ſuppreſſionem paſſi ſunt, vix præſervari poſ- ſunt,

ſunt, quin in idem malum recidivam patiantur, ídque cum vitæ diſcrimine. Exemplo nobis ſit Johanna, Spectabilis Viri D^ni^ Phillippi Stansby, Aromatárii Dorcheſtrenſis, conjux; ingenio, pietate, & probitate lectiſſima, & mariti amantiſſima, atque in re domeſtica adminiſtranda prudentiſſima, annos ſeptem circiter ſupra quadraginta nata, habitu corporis gracili & raro, temperamento bilioſo. Hæc cùm per periodos à pluribus annis ex calculo laboraret, quorum plures rejecit, arenulis verò continuò ferè moleſtaretur, nec ullâ præcautione uteretur, etſi paroxyſmo urgente ad levandum dolorem medicamenta quædam, ſed pauca admitteret; in idem tandem malum denuò incidit, cum acutiſſimo circa renes, dextrum præſertim, dolore; ità ut aculei infixi ſenſum præberet; accedente gravi vomitu, quo aſſumpta quævis, præter bilioſa plurima, rejiciebat; lotio primùm præter morem tenui aquæ inſtar exiſtente, poſtea etiam penitus ſuppreſſo, & ad totum regurgitante. Varia huic matronæ fuerunt adhibita; ſed renuente Apolline, morbi magnitudine & vigiliis ſuperata vitæ finem fecit. Diſſecto à morte cadavere, inventus eſt in ſiniſtro rene calculus, amplo caudice principium ſumens, in

duos

duos ramos ſeu radices,inſtar dentium maxillarium, magìs tamen circa finem à ſe invicem diſtantes, juxta canaliculorum vaſis urinarii formam, diviſus; unciæ unius pondere; rene toto abſumpto, ut nihil præter membranam reſtaret. In dextro verò rene, in quo crudelioribus afficiebatur dolorum tormentis, repertus alius calculus rotundior, quatuor ſcrupulorum pondere. Ab his cruciatûs & interitûs cauſa; reliquis viſceribus ſanis exiſtentibus.

OBSERVATIO LIII.

Veſicæ calculus poſt mortem deprehenſus.

CAlculos cùm in renibus tum in veſica generari, ídque non tantùm in pueris, ſed & quandoque in ſenibus, eóſque ſtupendæ magnitudinis, uno omnes ore confitentur medici, & quotidiana experientia teſtatur. Meminit Zacutus Luſitanus calculi, in veſicæ cavitate inventi, rotundi, duriſſimi, albicantis coloris, octodecim uncias pendentis. Alium habuit è diſſecto corpore extractum Antonius Van der Lynden, Medicus apud Belgas doctiſſimus, triginta duarum unciarum pondere conſtantem, duriſſimum,

mum, compactum, ſilicis colore, triangularem, ex quo, cum ferro, ut ex ſilice, eliciebatur ignis. Conſpiciendus quoque eſt Londini, Angliæ ocello, calculus triginta quatuor unciarum pondere, in veſica Theologi cujuſdam notiſſimi à morte inventus. His addam aliud exemplum. Laborabat Vir nobiliſſimus D^nus^ Guilielmus Poole, Baronetus, Cocham in Devonia habitans, ultra ſexageſimum aliquot annos progreſſus, habitu pleno, febri quadam lentâ, ut plerumque ſolent ſenes, cum apepſia, virium languore, aliíſque ſymptomatibus, à medico ejus ordinario mihi recenſitis; qua tandem jugulatus mortalitatem exuit: Aperto poſt mortem corpore, inventus in veſica urinaria calculus duriſſimus, pyriformis, in medio ſecundùm longitudinem pervius; Urina ex eo, tanquam canali quodam, ſine omni impedimento profluente, quatuordecim unciarum pondere conſtans. In hoc nobili Viro nulla apparebant calculi ſigna, quæ quidem fuerint obſervata; nullus ponderis ſenſus, nulla unquam calculi in veſica coagulati ſuſpicio, ut miretur quis, non ſine cauſa, quomodo fieri potuerit, ut tantæ molis & ponderis lapis ab ægro non diſcerneretur.

OBSER-

OBSERVATIO LIV.

Bini calculi in muliere è veſica excreti.

CAlculis, homini cum brutis communibus, Mulieres, quàm Viri, minùs ſunt obnoxiæ; & ſi quando iis infeſtantur, faciliùs ab iis liberantur, ídque duplici ratione. Unâ, quia ampliorem & breviorem urinæ meatum habent, ut conſtat anatomiâ: Alterâ, quia calculi materia, unà cum ſanguine menſtruo, ſingulis menſibus expurgatur. Hoc ipſum ſequens hiſtoria probat. Alebat in familia ſua Vir nobiliſſimus Dominus Thomas Trenchard, Eques auratus meritiſſimus, vetulam quandam viduam, probam & laborioſam, everrendis ædibus, quas Wolvetonii in Dorcheſtriæ viciniâ ſatis magnificas poſſidet, lavandis etiam & extergendis patinis, aliíſque ejus generis vilibus officii muneribus obeundis deſtinatam, ultra ſexageſimum ætatis annum progreſſum, habitu corporis craſſo, calculo à multis annis & urinæ ſtillicidio atque aliis ſymptomatibus crebrò excarnificatam. Hæc miſella, vitæ ſuæ ſtudioſa, cui nomen erat Evans, medicamenta ab Hero calculoſo relicta, imprimis

primis aquam nephriticam à me ei præſcriptam mihi familiarem, & multo uſu probatam, deguſtare ſolebat; cujus hæc eſt deſcriptio. ℞ *fragrorum* ℔iiij. *Vini malvatici* ℔iiijſs. *ſpiritûs juniperi* ℔ſs. *aquæ è radicibus petroſelini diligenter deſtillatæ* ℔ij. *Hederæ terreſtris viridis* Miiij. *Radicum ſaxifragiæ* ℥j. *Nucleorum Perſicorum, & ceraſorum contuſorum ana* ℥vj. *ſtent in vaſe clauſo per menſem, poſtea deſtillentur è vaſe vitreo.* Hujus uſu, quæ ei plurimùm arridebat, & linimentis ex unguento dialthæas, & oleo ſcorpionum commixtis, veſicæ regionem inungendo, excrevit duos calculos, juglandis majoris cum ſuis integumentis magnitudine; nullo alio incommodo, quàm quòd urinam impoſterum continere non poterat.

OBSERVATIO LV.

Calculus è perinæo excretus.

CAlculum non tantùm in renibus & veſica, ſed & in plurimis aliis corporis partibus ſæpe generari, ſuprà affirmavimus. Seni cuidam gregario, in ædibus Abbotsburianis Viri nobiliſſimi, & de patria optimè meriti, Domini Johannis Strangways, Equitis

tis aurati, quæ poſtea, proh dolor! infelici bello inteſtino, Vulcano conflagrârunt, oſtiarii munere, ut ſolent apud nobiles & magnates, ſummâ diligentiâ fungenti, obortus erat tumor magnus & dolorificus in perinæo, ut nullo modo obambulare poſſet, ſed lecto affixus decumbere cogeretur, noctes totas inſomnis tranſigens. Applicato cataplaſmate emolliente & maturante ex radicibus althææ & liliorum alborum, herbis malvæ, parietariæ & camomillæ, floribus ejuſdem & meliloti, ſeminibus fœnugræci & lini, nec non caricis pinguibus in aqua coctis, & aliis parato; tumor paucorum dierum ſpatio ad ſuppurationem perductus; quo rupto, prodiit calculus tres & ampliùs pendens uncias, & vulnus brevi tempore ſanatum.

OBSERVATIO LVI.

Urina cruenta ſine dolore.

SAnguis à multis partibus ad urinæ vias transferri poteſt, & lotium cruentum reddere. Sæpiſſime à renibus cum urina permixtus profunditur; rarò ab aliis partibus; idque vel per anaſtomoſin, rixim, diabroſim,

aut diapedeſin vaſorum, ad illas partes delatorum. Cujus rei cauſæ à practicis variæ allegantur. Hoc loco exemplum proponam illius cruentæ mictionis, quæ è renum vaſis effluxionis primordia derivavit. Honeſta matrona, Sara, ſpectabilis viri Dni Johannis Hill, ſenatorii in urbe Dorcheſtrenſi ordinis, omnis generis ferramentis vendendis, locupletati, conjux lectiſſima, gracilis, raræ & tenerrimæ texturæ, bilioſa, quinquagenaria; cui nec attagen famoſa, nec conchylia, nec vina deerant falerna; conquerebatur de appetitu dejecto, ſitis urgebat ſolito major, urinam cruentam cùm interdiu, tum noctu maximè, corpore excalefacto, abſque omni tamen lumborum dolore, reddebat; neque in ipſa excretione ullo dolore afficiebatur. Aberat febris, nec quicquam incommodi percipiebat, niſi quòd corpus extenuari, & vires quodammodò langueſcere ſentiebat. Cùm igitur nulla adeſſent calculi, aut ulceris alicujus indicia, rem totam in ſanguinis acrimoniam, & renum debilitatem conjiciendam duxi. Præſcripſi itaque Apozema ad ſanguinis fervorem corrigendum: ℞ *Radicum cichorii* ℥vj. *foliorum lactucæ, plantaginis, portulacæ, equiſeti, burſæ paſtoris ana*

Mj.

Mj. Seminum frigidorum majorum, portulacæ, acetoſæ ana ℥j. florum nymphææ, roſarum, violarum ana Pj. jujubarum n° v. liquiritiæ ℥ß. Coquantur in aqua hordei. Colaturæ ℔j. addatur diſſolutio gummi tragacanthæ, & arabici ana ℈ij. in aqua portulacæ facta, ſyrupi portulacæ, & roſarum ſiccarum ana ℥jß. Mſ. cujus aſſumpſit ℥iiij. pro vice, cum ʒß. trochiſcorum Gordonii. Purgationem inſtituit bolo ex caſſia aq. plantaginis extracta, additâ tamarindorum pulpâ, & Rhabarbaro. Ad renes corroborandos uſa eſt Electuario ex conſ. roſar. cynoſbati, & diacydon. ſ. adjectis troch. de Carabe. Quibus aliquandiu continuatis, fauſto Apolline convaluit, & lactis aſinini potu valetudinem confirmavit.

OBSERVATIO LVII.

Sanguinis mictus poſt redditam Urinam.

SAnguinem à multis partibus ad vias urinæ pervenire, interdum etiam ex ipſis urinæ viis, & vaſis in eas deſinentibus, effluere, non eſt à veritate alienum. Ità Vir nobiliſſimus & ſtrenuus D^nus^ Ludovicus Dives, Eques auratus, conſtitutionis bilioſæ, in

vigore ætatis ſuæ conſtitutus, violentis exercitiis aſſuetus, cùm Abbotsburii apud Nobiliſſimum ſocerum ſuum D^num^ Johannem Strangways, Equitem auratum, commoraretur; à reddita urina, ſtatim ſanguinis puri, ſinceri & impermiſti cochlear circiter unum minxit; non ſine acutiſſimo per horæ quadrantem penis dolore. Ad hunc accitus, ſanguinem è pene profundi, apertâ aliquâ, in eum deſinente, venâ judicavi; eò quòd ſincerus eſſet, & mox poſt lotium dictâ quantitate prodiret. Huic itaque nobili Viro, revulſionis ergô, hepaticam ſecandam curavi, detractis octo unciis ſanguinis, præſente plenitudine. Huic purgato per caſſiam cum Rhabarbaro corpore, ſuaſi trochiſcorum alkakengi uſum; quorum aſſumpſit ſcrupulos duos bis in die ex aqua plantaginis, ſyrupo de ſucco portulacæ pro libitu dulcorata; atque his, paucorum dierum ſpatio, ab hoc malo fuit liberatus.

OBSER-

OBSERVATIO LVIII.

Veſiculæ ſphæricæ à renibus excretæ.

ETſi veſica velut laguncula quædam excipiendæ urinæ à ſummo rerum opifice ſit fabrefacta, quam retinet aſſervátque ad tempus, nè continenter & intempeſtivè eam reddere cogamur: Interdum tamen aliæ quoque res præter naturam ex eadem excernuntur; quarum exempla paſſim apud practicos recenſentur; id quod de Renibus quoque verum eſt, in quibus, præter calculos, & aliæ res præter naturam quandoque generantur. Hujus rei exemplum mihi occurrit in praxi mea, in viro quodam gregario, ſed honeſto, trigeſimum annum egreſſo, Georgio Gillet nomine, pannis laneis tondendis victum quæritante. Hic cùm ad me conſilii causâ acceſſiſſet, de intolerabili lumborum dolore querulus, cum nauſea & vomitu; calculum aut arenulas tanti doloris cauſam eſſe ratus, autor ei fui, ut per dies aliquot, injecto priùs enemate emolliente, devoraret Terebinthinam cypriam cum pulvere liquiritiæ in pilulas redactam; cujus uſu, non ſine ſummis do-

lorum tormentis, & urinæ difficultate, veſiculas exactè ſphæricas, ejuſdem omnes magnitudinis, quales ſunt globuli illi, qui à tormentis ſeu bombardulis minoribus, Equitibus uſitatis, ejaculantur, quindecim, ſi rectè memini, numero rejecit craſſiſſimâ ſubſtantiâ eâque pellucidâ; tres vel quatuor aquæ limpidiſſimæ guttas in ſe continentes; turgidas atque duras adeò, ut forti digitorum compreſſioni reſiſterent, nec facilè frangi potuerint; reſervatæ tres quatuórve dies penitus contabeſcebant & diſſolvebantur. Vivit adhuc vir hic & rerum ſuarum ſatagit. Sic vir quidam Exoniæ incola, integritate & autoritate plenus, poſtquam de lumborum dolore aliquandiu conqueſtus eſſet, tandem cum urina rejecit plures vermiculos crinitos & atro-vireſcentes, hordei magnitudine, cùm mortuos tum & vivos; adeò quidem vivaces, ut vitæ fugâ conſulturi è matula ocyùs reperent; à quibus meo conſilio liberatus eſt. Luxuriat quippe in veſica quandoque humor quidam lentus, viſcidus, & pituitoſus; ex quo, calore nativo & vitali ipſum informante, animalcula iſtiuſmodi facilè generantur, non ſecus ac alia animalia ex Sole procreantur; cùm nimirum materia apta eſt

eſt ad illius vim ſuſcipiendam. Alius minxit corpuſculum membranaceum, molle, & concavum, ſeminis cucurbitæ formam referens.

OBSERVATIO LIX.

Diabetes ab Arthritide diuturna, lethalis.

Διαβήτης à διαβαίνω, id eſt, tranſeo, quòd urina citò tranſeat, dicta; aliis hydrops ad matulam, aliis urinæ profluvium dictum, affectus eſt rariſſimus, à Galeno bis ſolùm viſus; quem, ob raritatem, ab Hippocrate non obſervatum fuiſſe, notat Doctiſſimus Mercurialis; cujus cauſam reddere difficillimum; & in qua reddenda practici plurimùm variant, & inter ſe diſſentiunt. Mihi in mea quadraginta annorum praxi ſemel tantùm obviàm factus, cujus hæc eſt hiſtoria. Nobiliſſimus Vir Dnus Franc. Chettle, armigeri ordinis, homo admodum feſtivus & in colloquiis ſalibus abundans, in vicinia Blandfordiæ habitans, ſtaturæ à mediocritate ad proceritatem vergentis, habitu carnoſo, ultra annum ætatis quadrageſimum progreſſus; poſtquam indè à viceſimo ætatis anno cre-

 berrimè

berrimè paroxyſmis arthriticis, nunc pedes nunc manus, interdum etiam cervicem, aliáſque partes affligentibus, miſerè excarnificatus, vitam doloribus plenam tranſegiſſet; tandem à paroxyſmo quodam ſolitò leviore, naturâ forſan ſuccumbente, ut humores vitioſos amplius ad articulos expellere non potuerit, febri continuâ, non multùm tamen ad ſenſum ardente, corripiebatur, cum urinæ profluvio, quam adeò copioſam per quatuor dies noctéſque profudit, ut multos congios impleret; aderat ſitis inexplebilis, qua nec majori Tantalum apud inferos excruciatum crediderim; linguâ exiſtente ſcabrâ, aridâ & nigrâ, ut cerevisiam, qua unicè delectabatur, continuò poſtularet, ídque tantis precibus, ut nullus eſſet denegationi locus; quam pleno poculo, inſtar Tricongii Mediolanenſis, de quo Plinius, hauſtam, mox primis diebus, parùm coctam, & poſtea morbo ingraveſcente prorſus immutatam reddebat; de inſigni in viſceribus æſtu, & ardore continuo querulus. Varia à me tum & alius cujuſdam Medici tandem communi conſilio, adhibita fuerunt huic Viro afflictiſſimo præſidia. Verùm, ut malum hoc plerumque lethale eſſe ſolet, ità
&

& huic Viro optimo lethum acceleravit; eúmque, effluxo quarto à primo inſultu die, è medio ſuſtulit; dignum ſanè, qui ſuorum & patriæ bono diutiùs vitæ uſurâ frueretur, niſi Deo aliter viſum fuiſſet, in cujus voluntate acquieſcendum. Probabile eſt, in hoc viro optimo materiam, arthritidis cauſam, à natura ſuccumbente ad articulos minimè propulſam, metaſtaſi quadam ad hepar, ventriculum, & partes eas, quæ aquoſum humorem è ventriculo & inteſtinis ad hepar & lienem ferunt, ſed renes maximè, tranſlatam fuiſſe, & huic malo anſam præbuiſſe; ut ſolet arthritis in varios morbos, & hi in illam frequenter tranſmutari. Imprimis verò articulares dolores in jecinoris affectum tranſire, & contrà, obſervavit Hieron. Gabucinius; ſæpiſſimè quoque renales morbos in podagricos & articulares, & hos in illos permutari, teſtatur Trincavellius doctiſſimus, de ratione curand. partic. affection. lib. 12. cap. 1.

OBSER-

OBSERVATIO LX.

Urinæ copia à potu aquæ ſpermatis ranarum.

MUlier quædam Dorcheſtrenſis, Anna Buttler, Rogeri Heiden chirurgi filia, & ipſa Chirurgiæ, aquíſve herbarum deſtillandis dedita, cùm fortè ægrotaret, poſtulavit à filia aquam Cardui benedicti, ad ſudorem eliciendum. Illa verò incautula, errore quodam, in Medicina non minùs, quàm in bello periculi pleno, loco aquæ Cardui, obtulit ei hauſtum aquæ ſpermatis ranarum; qua ebibitâ, cœpit pejus habere; ſed unâ atque alterâ effluxâ horâ, incredibilem per triduum reddidit urinæ copiam, ſine alio majori incommodo; niſi quòd ſiti quodammodo premeretur, & veſiculæ quædam in cute paſſim efflorеſcerent.

OBSERVATIO LXI.

Virilitas extincta ſolo Camphoræ odoratu.

UT multa extant in Medicina remedia, libidinem & Venerem languidam accendentia; ità & non pauca reperiuntur eandem extingentia; quæ Græcis φθόρια nuncu-

nuncupantur, quòd occultis qualitatibus ad extinguendum ſemen, & impediendam conceptionem faciant. In horum cenſu primas facilè tenet Camphora, arboris cujuſdam in India orientali naſcentis reſinoſa lachryma. Hanc plerique medici, experientiâ edocti, Veneris ſtimulum arcere, conceptúmque impedire, tradunt; Julius verò Cæſar Scaligerus exercit. 104. Sect. 8. idem, contra Cardanum, neſcio quibus rationibus adductus, pernegat; ſed citra veritatem; cùm experientia, rerum magiſtra, contrarium probet; quod ſequens exemplum præter alia evincit, in mea mihi praxi obvium. Vir quidam nobilis Carolus Brune, cum nobiliſſimo fratre ſuo Athelhamſtonii pro tempore commoratus, homo quadratus, utpote nec pinguis, nec macilentus, temperamenti ſanguinei, quadraginta circiter annos natus; hic in venerem pronus, cùm uxore ſuâ immaturâ morte privatus, neſcio cujus conſilio, aut qua de cauſa, niſi forſan caſtitatis præſervatione, crebro & quotidiano Camphoræ ſolùm odoratu, omnem amiſit virilitatem; ità quidem, ut funerata illi eſſet pars illa corporis, cum Encolpio apud Petronium loquendo, quà quondam Achilles fuerat, atque frigidior rigente

gente brumâ confugiſſet in viſcera, mille o-perta rugis. Huic inſuper malo acceſſit ventriculi languor, & totius imbecillitas. In hoc viro camphora proculdubio Veneris fomites diſcutiendo & ſiccando ſuſtulit, minimè verò eos alterando immutavit, aut frigefecit. Nec enim frigida eſt, ſed calida, & partium ſummâ tenuitate prædita; id quod inflammabilitas ejus, qua accenſa in ipſa etiam aqua ardet, ſapor ejus & odor abunde evincit, In his anguſtiis, de reſtituendo virilitate, & recuperanda valetudine ſolicitus, meam imploravit operam; cui ut pro virili opem ferrem, præſcripſi maximè convenientem diætam, ex iis quæ probè nutriunt, & copioſum flatuoſúmque generant ſanguinem, & ſpiritus vitales recreant; concoctu quoque ſunt facilia, & promptè diſtribuuntur; qualia ſunt ova recentia ſorbilia, juſcula ex iis cum vino præparata, addito ſaccharo & cinamomo. Nuces etiam pineæ, amygdalæ, uvæ paſſæ, & ejus farinæ alia; nec non capita cinaræ, de quibus poeta,

Hunc tibi jus pingue coquit, præſtantior indè eſt,
Ibit & in numeros ſic Venus apta ſuos.

Quæ

Quæ quidem Adrianus Spigelius, tanquam inefficacia, rejicit; ſed alii laudant. Apud me verò illius authoritas non tantam vim habet, ut longæ experientiæ multorum præjudicare poſſit. Conceſſi quoque Vinum generoſum, ventriculi gratiâ, & Veneris ratione; Sereni autoritate fretus, dum ait, Languidus antiquo purgetur penis Iaccho. Ad ſtimulum verò addendum, ordinavi Electuarium: ℞ *Conſervæ florum tunicæ, Electuarii è ſaſſafras ana* ℥ij. *Radicum Eryngii condit. Roſatæ novellæ, ana* ℥j. *Diaſatyrii* ℥ß. *Nucis moſchatæ conditæ, corticum citri condit. ana* ʒiij. *Seminum Erucæ* ʒij. *Ambræ griſeæ grana quinque; Miſce, fiat Electuarium auro cooperiendum:* quo non tantùm ventriculus, & totius debilitas emendata, ſed & Veneris ignavia plurimùm correcta. Sub lecti verò introitum devoravit tres vel quatuor pilulas, quæ conſtabant ex ſeminis Erucæ ʒj. piperis albi ℈ij. Aſæ fœtidæ ℈j. cum ſyrupo conſervationis Zingiberis efformandæ. Extrà interim inunxit perinæum & genitalia unguento martiato, & oleo Nucis moſchatæ per expreſſionem facto, addito moſchi tantillo, & olei de piperibus momento. His aliquandiu uſurpatis, Vir hic amiſſam virilita-

rilitatem recuperavit, ſéque mihi gratum præſtitit.

OBSERVATIO LXII.

Teſtis ſiniſtri durus tumor reſolutus per ulcuſcula in mento oborta.

QUàm mirabilis ſit teſtium & partium diaphragmate ſuperiorum conſenſus, Hippocrates, Medicorum princeps, diligenter expreſſit Sect. 1. lib. 2. Epid. Cùm teſtis, inquiens, intumeſcit à tuſſi, memoriam renovat ſocietatis pectoris, mammarum, genituræ & vocis. Teſtium verò cum mento conſortium non memini me ullibi unquam legiſſe. Eſſe tamen hujuſmodi ſympathiam quandam, ſequens hiſtoria declarat. Vir reverendus D^nus^ Ameſius Short, verbi divini quondam in urbe maritima Lymæ Regis Miniſter fideliſſimus, quinquagenario proximus, mediocris ſtaturæ & corpulentiæ, temperamento melancholico præditus, laborabat ſiniſtri teſticuli duro, exigui doloris, tumore, ovi anſerini magnitudinem æquante; ſanguinem pituitoſum & craſſum, melancholico permiſtum, longo temporis defluxu concretum & induratum, pro vero autore

autore habente. Hic vir bonus de cura hujus mali admodum anxius, variorum Chirurgorum domi & foris operâ ſine fructu, imò cum damno uſus, tandem & meum conſilium auxiliúmque imploravit. Deſperaveram ego de hujus tumoris cura, probè noſcens, eum magnâ curâ & diligentià tractandum eſſe, cujus ea eſt indoles, hoc ingenium, ut medicæ manui pertinaciter reſiſtat, & gravibus quandoque accidentibus ſit obnoxius. Nihilominus ne virum hunc meo conſilio deſtitutum reliquiſſe viderer, purgato per pilulas melanagogas corpore, applicare eum juſſi Emplaſtrum de cicuta cum ammoniaco; quo per tres circiter ſeptimanas continuato, tumor reſolutus; materiâ ejus ad mentum, pluribus eò loci exortis ulcuſculis, per metaſtaſin tranſlatâ; quæ brevì exſiccata & ſanata fuerunt.

OBSER-

OBSERVATIONUM MEDICINALIUM LIBER QUARTUS.

OBSERVATIO I.

Tumor uteri Scirrhoſus.

COnquerebatur honeſto loco nata Matrona, Martha Brag, vidua, Edowardi Brag, civis Dorcheſtrenſis, quondam conjux, de tumore imum ventrem occupante, meum de eo conſilium implorans. Contrectato hypogaſtrio, ſedulâ exploratione inveni juſtam conquerendi cauſam, circa uterum hærentem; tumorem videlicet durum, & penè, ſi non planè, Scirrhoſum; qui proculdubio antiquiora, quàm imaginabatur, habebat generationis ſuæ primordia; humoribus craſſis & terreſtribus

circa hanc muliebris corporis ſentinam inſenſibili collectione congeſtis, cum magno, licèt non vitæ, ſaltem incrementi periculo. Erat autem tumor iſte indolens, quamvis ægra, flatibus vicina inteſtina percurrentibus, ſentiebat aliquando vellicationes; proculdubio à diſtenſione. Quantum conjecturâ conſequi poteram, inter membranas uteri ligamenta conſtituentes, paulatim ſuccreverat tumor hic præter naturam; Huic jam nimiùm adulto, omni ingenio obviàm eundum duxi, cùm antecedentis cauſæ diverſione, & congruâ evacuatione; tum conjunctæ diſſipatione; quod niſi peragatur, metus eſſe videbatur, ne tumor in immenſum auctus, non tantùm obſit ipſi utero, ſed & hepar, partéſque omnes naturales trahat in funeſtum conſenſum. Frequentes igitur inſtitutæ purgationes pilulis de Ammoniaco, quibus ſubdebatur calcar, additis trochiſcis alhandal: & has devoravit duabus horis poſt cœnam. Harum loco permutationis causâ, ne natura uni medicamento aſſueſceret, uſa eſt Electuario cum gummi Ammoniaco. His duobus aliquando permiſtus fuit ſcrupulus Mercurii crudi, additis granis ſex florum ſulphuris, quibus in diſcuſſione nihil invenit efficacius, ſine ullo ptyeliſmo. Interim &

potus

potus cereviſiæ medicatæ fuit ordinatus ex multo ligno ebeni, radicibus ſcrophulariæ majoris, graminis bulboſi, cynogloſſæ, filipendulæ, aſphodeli, potiſſimùm autem cum multa ſquama ferri circa incudem collecta, cujus metalli magnam vim in uteri tumoribus duris, etiam ad cancrum inclinantibus, aſſeverat Mercatus, Medicus doctiſſimus & experientiſſimus. Quoad externa, præter fotus, applicatum primò fuit cataplaſma cum multis radicibus crudis Brioniæ nigræ, quam ſigillum Beatæ Mariæ vocant, Bryoniæ albæ, cucumeris aſinini, & cyclaminis: Poſtea etiam Emplaſtrum de cicuta cum ammoniaco, additâ Mercurii crudi portione. Interea non omiſſus creber clyſterum uſus, qui ex decocto valde emolliente facto in jure omaſorum concinnati fuerunt, ità ut in unciis duodecim liquoris diſſolverentur mellis cum mercuriali, acantho & cynogloſſa præparati ℥ij. infuſionis croci metallorum ℥iij. vitellorum ovi n°. ij. Miſce, & diutiùs retineat in corpore. His paucis per plures ſeptimanas continuatis, tumor bonis ægræ rebus diſcuſſus. Verno tamen tempore alia erant præſcripta, ad valetudinis ægræ hujus confirmationem.

OBSERVATIO II.

Chloroſis.

SExus fœmininus variis morbis obnoxius eſt, præ Viris. Neque enim eos ſolùm morbos, quos Viri, ſæpe & ipſæ ſuſtinent, ſed & ſibi peculiares patiuntur, eóſque ſatìs multos. In horum cenſu eſt chloroſis, quæ recentioribus morbus virgineus nuncupatur; quòd virginibus ſit peculiaris,& eas frequenter infeſtet, cùm viro jam maturæ ex ephebis exceſſerunt: Brabantiorum verò Matronæ, febrim albam, ob faciei pallorem, & amatoriam appellare ſolent; quum palleat omnis amans, & color hic ſit aptus amanti. Hoc affectu graviſſimè laborabat Maria, Viri Spectatiſſimi, D^ni^ Andreæ Loderi Cauſidici, Dorcheſtriæ habitantis, filia natu maxima, quatuordecim & quod excedit ultrà, annos nata, raræ & tenerrimæ conſtitutionis puella, in victu admodum incautula. Hujus puellæ ſuaviſſimæ faciei indoles, quum antea roſeo genarum labiorúmque rubore tincta floruiſſet, ea modò, velut exanguis, triſte palleſcebat; Cor, vitæ fons & domicilium, ad citatiorem corporis motum, palmo contremiſcebat;

tremiſcebat; loca alta & acclivia aſcendendo, ſpirandi difficultatem patiebatur; de ventriculi faſtidio & abſurdorum deſiderio; nec non, capitis dolore frequenter conquerebatur; cum totius gravitate & ſegnitie, ità ut in camino ad ignem toto die ſedere affectaret, niſi à matre ad domeſtica negotia obeunda incitaretur. Catamenia nunquam erat paſſa. Ad hanc puellam à parentibus vocatus, univerſam hujus mali rationem in venarum præcordiorum obſtructione conſiſtere judicabam, ob ſanguinis craſſi affluxum & permanentiam. Cui ut cum fructu mederer, ventriculo cruditatibus oppreſſo propinavi primò, ad eum per ſuperiora everrendum, vinum ſquilliticum oxymelite dilutum, quod cum εὐφορίᾳ operationem ſuam peregit. Hinc, cùm delicatula eſſet, nec magni medicamentorum apparatûs capax, ad reſerandas viſcerum obſtructiones, & vitioſorum humorum è toto corpore evacuationem, uſa eſt juſculis per plures dies: ℞ *Radicum aſparagi, apii, petroſelini ana* ℥ß. *foliorum agrimoniæ, betonicæ, hyſſopi, capillorum veneris, & nepetæ ana* Mß. *corticum tamariſci, capparum ana* ℨiij. *Macis* ℨß. *Bulliant cum pullo gallinaceo pro tenui juſculo*, cujus aſſumpſit hauſtum omni manè; diſſol-

vendo in quovis, cremoris tartari & pulveris Aronis compoſiti, ana grana quindecim. In alternis præterea juſculis hauſit ptiſanæ laxativæ cochlearia quatuor, unde alvus egregiè ſoluta, ut aliis non fuerit opus, in gracili admodum & tenerrima corporis conſtitutione, exolvi apta. His abſolutis, pro majori viſcerum deoppilatione, eorúmque robore, præſcripſi ei pilulas: ℞ *Dialaccæ* ℥ij. *ſpecierum diarrhodon abbatis, & trochiſcorum de capparibus ana* ℥j. *pulveris hepatici* ℨß. *Salis Martis* ℈j. *Miſce, fiant pilulæ inſtar piſorum cum ſyrupo de Eupatorio*, quarum aſſumpſit n°. iiij. omni manè, ſuperbibendo hauſtum vini vel cereviſiæ abſynthitidis cum trium horarum jejunio; continuando harum uſum per ſeptimanas aliquot, quibus ingens huic puellæ acceſſit commodum, ità ut pleraque ſymptomata evaneſcerent, redeunte in facie florido colore. Harum pilularum uſu quoties alvus pigra calcari opus habebat, in promptu erant pilulæ ex alephanginis & ſtomachicis cum gummi invicem permixtis conflatæ. His optimè reſtituta eſt puella; in idem tamen malum relabi prona; quòd eo inveterato tota corporis œconomia everſa, accedente cum primis improbâ victûs ratione, quæ huic morbo generando ſatìs eſt.

OB-

OBSERVATIO III.

A menſium ſuppreſſione uteri ſuffocatio.

MUlti, iidémque graviſſimi morbi, variis ac multiplicibus ſymptomatibus ſtipati, mulieribus ab utero impendent; ut verè dixerit Democritus, eum ſexcentarum ærumnarum & innumerabilium calamitatum autorem eſſe. In horum cenſu, haud infimum ſibi locum vendicat menſium ſeu catameniorum obſtructio. Unde Hippocrates, artis medicæ conditor diligentiſſimus 5. aph. 57. Si menſes, inquit, ſubſiſtant, accidunt ab utero morbi (redundante ſcilicet in totum corpus ſanguine menſtruo) alii quidem in ipſo utero, alii in toto corpore, alii in aliis partibus. Id accidit piæ & modeſtæ virgini, Viri, D^{ni} Reverendi Guilielmi Bartlet, Verbi Divini Bidefordii in Devonia Miniſtri fideliſſimi & laborioſiſſimi, filiæ, viginti duos circiter annos natæ, bono corporis habitu præditæ, vitæ ſedentariæ aſſuetæ, temperamento melancholico, & hypochondriacæ affectioni obnoxiæ; cui antehac coram operam meam locaveram. Hæc, ut reverendus parens ejus per literas mihi ſignificavit,

ficavit, contracto fortè frigore, incidit in pertinacem menſium obſtructionem, cum intolerabili ventriculi, lumborum & capitis dolore, nec non cordis palmo graviſſimo; ſubſequentibus paulò pòſt convulſionibus horrendis, hyſtericis familiaribus; quibus tanto nervorum muſculorúmque nixu convellebatur, ut à pluribus adſtantibus, vix ſuper lecto retineri potuerit; inſultibus in ſingula horæ momenta cum ſuffocationis metu, quaſi fauces laqueo conſtringerentur, ſeſe excipientibus; quibus remittentibus, in gemitus & lachrymas tota profundebatur. Parentibus conſilium meum pro filia implorantibus, etſi perarduum ſit abſentibus, in rebus ſanitatem ſpectantibus, conſulere; attamen cùm ægra antehac mihi cognita eſſet, morem iis gerendo, in cura totum me converti ad ſanguinis craſſi attenuationem, ejuſdémque evacuationem, & menſtruorum provocationem, ſi Deo viſum fuerit; ſine cujus numine, nihil eſt in homine. Judicabam enim, quicquid malorum ſit, cauſam ex obſtructione venarum uteri à ſanguine groſſo & corrupto ortûs ſui primordia derivare. Quædam itaque præſcripſi in paroxyſmo, quædam extra eum adminiſtranda. Quoad primum, ad vaporum diſcuſſionem, propinandum

nandum ſuaſi hauſtum pleno poculo aquæ naphæ, ſæpius mihi probatæ, quam interdum aquæ hyſtericæ cochleare uno & altero diluere juſſi: Naribus tabaci fumum inſufflandum præcepi; nodulum ex Abrotono & caſtoreo iiſdem objiciendum: Bardanam plantis pedum applicandam; frictiones partium inferiorum inſtituendas conſului. Emplaſtrum tandem ceroneum, cum altero de Galbano permiſtum, ſub umbilico applicandum curavi. Hujus hæc erat deſcriptio: ℞ *Galbani in vino ſoluti* ℥vj. *Myrrhæ* ℈ij. *pulveris artemiſiæ* ʒß. *Miſce, fiat Emplaſtrum.* Hæc in paroxyſmo. Extra eum ſic proceſſi. Primò quidem potiunculam hauſit: ℞ *Radicum polypodii & foliorum ſenæ ana* ʒjß. *Agarici, Rhabarbari ana* ʒß. *Cinamomi* ℈j. *Macis gr. vij. Infundantur per noctem in ſ. q. ſeri lactis vino albo ſegregati. Manè in colatura diſſolve Mannæ & ſyrupi roſarum ſol. comp. ana* ℥j. *Miſce pro hauſtu.* Sequenti die ſaphenæ ſectionem fieri mandavi, detractis circiter ſex unciis ſanguinis. Hinc injunctum fuit ſequens decoctum laxativum, quod non tantùm in ſimili caſu, ſed & in hypochondriaca affectione, qua virgo hæc affligebatur, efficaciſſimum reperi: ℞ *Sarſæ parillæ* ℥ij. *paſſularum* ℥jß. *flavedinis aurantiorum* ʒß. *infunde per noctem*

in ℔vj. *aquæ, deinde coque ad* 4. *p. c. ſub finem adde foliorum ſenæ el.* ℥j. *Agarici, Rhabarbari ana* ʒj. *Epithymi* ʒß. *Bulliant adhuc parum; ubi refrixerint, colentur.* De hac colatura bibere juſſi ægram hauſtum jejuno ventriculo, deinde veſperi horis ij. ante cœnam repetere, plùs minùs pro operationis experientia, intermittendo interdum diem unum. Egregiè evacuat hoc decoctum non tantùm ſanguinem craſſum, melancholicum, per alvum, urinam, ſudorem, ſed & viſcera corroborat. Hoc abſoluto, ad chalybem pervenire decreveram; à quo cùm averſa eſſet, ordinavi ad menſes movendos decoctum Langii, ex baccis lauri, juniperi, roremarino, &c. appropinquante menſium tempore omni manè bibendum. His paucis ex præſcripto uſurpatis, erumpentibus denuò catameniis, Virgo hæc à paroxyſmis hyſtericis omnino libera evaſit, nec ampliùs eodem malo moleſtata fuit. Eâdem ferè methodo curata fuit filia reverendi Viri D^ni^ Georgii Hammon, Paſtoris Dorcheſtrenſis fideliſſimi; quæ eodem malo, à menſium obſtructione orto, graviter laboraverat. Deo ſit laus & gloria.

OBSER-

OBSERVATIO IV.

Immoderatus menſium fluxus in puerperio.

Quemadmodum ex menſium ſuppreſſione fœminis morbi accidunt; ſic & ex immodico eorundem profluvio morbi iiſdem generantur, Hippocrate 5. aph. 57. ſuffragante. Cujus rei Oribaſius hanc reddit rationem, quòd ſcilicet nimio eorum fluxu multùm debilitetur corpus. Id quod accidit Viri honeſti, Guilielmi Seger, villici cujuſdam Fordingtoniæ, in vicinia Dorcheſtriæ habitantis, Conjugi, triginta quatuor circiter annos natæ, proceræ ſtaturæ, habitu mediocri, ad pleniorem tamen inclinante, quoad ſecundæ coctionis viſcera calidæ & humidæ, multo ſanguine ſeroſo repletæ. Hæc elapſo à partu, fauſtâ Junone Lucinâ tranſacto, menſis ſpatio, in tantam incidit hæmorrhagiam uterinam, irritatâ ſanguinis caliditate & acrimoniâ expultrice, ſine dolore vel ſaltem exiguo profluam, ut totas matulas impleret, & ad extrema redacta, ſyncope crebrò corriperetur, id quod divinus Hippocrates 5. aph. 57. malis ſignis annumerat. In fluxu muliebri, inquit, ſi convulſio & animi defectus

advene-

advenerit, malum. Ad hanc ſecundo die accitus, magnam ex pulſu, qui debiliſſimus erat, ſpirituum profuſionem, & virium cum ſanguine jacturam factam conſiderans, apparente in facie, quæ antea florida erat, plurimâ mortis imagine, quaſi nullus in venis reliquus eſſet ſanguis; dum alia præpararem, exhibui ei cochlear unum tincturæ Corallorum vulgo ſic dictæ, quæ tamen mera eſt eorum ſolutio, additâ confectionis alkermes portiunculâ; brachiis vincula injeci; digitos filo ſerico rubro ligandos curavi; alvum adſtrictam balano exonerandam curavi, ne utero ab excrementis, in recto inteſtino contentis, preſſo, fluxus augeretur; uteri verò regioni appoſui ſuccum urticæ cum farina tritici ſubactum, permiſtis aranearum telis. His factis, ſanguis minori quantitate fluere videbatur; cui ampliùs ſiſtendo propinavi ℈ij. uſneæ humanæ, & quatuor mumiæ grana ſubtiliſſimè pulveriſata; ex ſequentis julapij hauſtu, ℞ *Aquæ foliorum quercûs, plantaginis, protulacæ, ana ℥iiij. Syrupi myrtini, portulacæ, è roſis ſiccis ana ℥j. ſpiritûs vitrioli gutt. vj. Miſce, fiat julapium*, quo etiam aliis temporibus uti poterit. In potu infundendas curavi typhas aquaticas maturas quæ in propinquo erant, ſæpius mihi probatas, de quibus Ovidius Faſtor. 6. ità

At

At Dominus, diſcedite, ait, plauſtróque morantes
Suſtulit: in plauſtro ſcirpea matta fuit.

Ubi per ſcirpos typhas intelligit. His repetitis & triduo continuatis, præſcriptâ ſimul rectâ victûs ratione, & aquis perlatis ad virium corroborationem exhibitis, fluxus quidem ſuppreſſus, qui magno antea impetu & ultra naturæ vitæque modum effluxerat: ſed eo viſcera adeò debilitata erant, ut totum corpus, ſed pedes cum-primis intumeſcerent, & Cachexiæ & hydropis principium imminere videretur, colore in toto corpore mutato; cui malo ut ſubvenirem, cùm eſſet dura alvo, & fortioribus præſidiis ferendis impar, ad eam laxandam, ordinavi conſervam roſarum ſolutivarum cum manna paratam, admixto Rhabarbari polline, neceſſitate urgente, juglandis magnitudine devorandam; Ad viſcerum verò corroborationem, & tonum eorum reſtituendum, præſcripſi Electuarium: ℞ *paſſularum Corinthiacarum in vino coctarum & per ſetaceum trajectarum* ℥iiij. *Conſervæ cynoſbati, roſarum, cichorii ana* ℥ß. *Corticum citri conditi* ℈ij, *diarrhodon abbatis, diatrion ſantalon ana* ʒß. *pulveris hepatici* ʒj. *Corallorum rubrorum, raſuræ eboris ana* ℈ij. *ſantalorum*

talorum omnium ℥ß. *Miſce & cum ſyrupo cydoniorum & corallorum ana q. ſ. fiat Electuarium*, cujus aſſumpſit ℥ß. pro vice. Hepati verò affrictum linimentum ex cerati ſantalini ℥jß. ſuccorum endiviæ & cichorei ana ℥jß. Ceræ & aceti parum. Miſce, fiat Linimentum. Tandem, pro colophone, bibit decoctum Chinæ, cum ſantalis, & raſura cornu cervini & eboris; atque ſic perfectæ valetudini reſtituta eſt; quam omnes libitinæ deſtinaverant. Benedictus ſit Deus in omne ævum.

OBSERVATIO V.

Immoderatus menſium fluxus ab eroſione.

QUemadmodum illud pluvioſum tempus vulgò nominare ſolent, in quo non tantùm magna fit imbrium & ſubita inundatio; ſed & ſi pluviæ longo tempore durant, etſi non largè decidant: Ità & menſium fluxus dicitur immoderatus, non ſolùm cùm copioſior eſt ab utero cum impetu quodam ſanguinis profuſio; ſed & cùm diuturnior, quàm competit, purgatio contingit; etſi ſanguis non confertim, torrentis inſtar, profluat. Hoc malum paſſa eſt, paucis poſt abor-

abortum ſeptimanis, ſpectatæ virtutis matrona, Eliſabetha, Viri humaniſſimi Dni Thomæ Hall, civis & aromatarii, in urbe Dorcheſtenſi, conjux lectiſſima, quadragenaria, ſtaturæ proceræ, mollis & humidæ habitudinis, cacochymæ, & ſeroſis ſuperfluitatibus repleta, facie pallida, & fluori albo obnoxia, humoribus excrementitiis à toto ad uterum confluentibus. Hæc,mulierum conſilio, domeſticis quibuſdam auxiliis uſa, cùm nihilo meliùs haberet, & fluxus indies in pejus rueret, me tandem in conſilium adhibuit; ad quam ingreſſus, de ſingulis pro more interrogavi, ut cauſam interiorem eò meliùs cognoſcerem. Conquerebatur verò de continua hæmorrhagia; ſanguine quidem non confertim, imbrium more, ſed modicè & paulatim, cum dolore & punctione quadam profluo, emiſſâ ſimul ſanie fætidâ, & tenuiſſimis quibuſdam membranulis; unde profluvium hoc ab eroſione, à ſalſis & acribus ichoribus cauſata, procedere judicavi; multùm in opinione mea confirmatus, ex colore ſanguinis profluentis,tum& aliis ſignis ſeroſæ colluviei in corpore abundantis; ſed imprimis ex linteorum inſpectione. Ut huic matronæ, jam multùm debilitatæ, & lecto affixæ, cibos averſanti, pro virili ſuccurre-

currerem; ſuaſi parcam ſanguinis detractionem ex baſilica dextri brachii, cùm copioſa miſſio non conducere videretur, & ægra ipſa vix illius capax eſſet, ob virium languorem; quam tandem multâ perſuaſione admiſit. Interea etiam frictiones & ligaturæ partium ſuperiorum inſtitutæ. Poſtea quoque, ad acrium & ſalſorum humorum evacuationem, cùm ventriculus liquida reſpueret, devoravit bolum ex pulvere mechoacannæ & Rhabarbari, cum conſerva roſarum damaſcena, cum manna parata, permiſto; quo leniter, ſed copioſè fuit purgata, quem poſt dies aliquot reiteravit; ut, evacuatis humoribus, alia tutiùs adhiberentur. Intermedio verò tempore, ad humorum contemperationem, & fluxûs moderationem, ter in die bibit hauſtum julapii: ℞ *Aquæ plantaginis, portulacæ, centumnodiæ ana* ℔ß. *Syrupi de portulaca* ℥iij. *ſyrupi myrtini, & de roſis ſiccis ana* ℥jß. *Spiritûs vitrioli guttas decem. Miſce, fiat julapium, pleno poculo, ut alia omnia, in uteri affectibus propinandum*; cui interdum, habitâ virium ratione, confectio alkermes fuit permiſta. His factis, ad alia acceſſimus, tum interna tum topica, refrænando huic malo dicata. Ac primò quidem bis in die, horis medicis,

cis, aſſumpſit hauſtum decocti ſequentis; ℞ *Ligni lentiſcini ℥ij. ſantali albi & rubri ana ℥j. Radicum biſtortæ ℥ß. paſſularum ℥j. Bulliant in vaſe duplici, in aquæ communis ℔iiij. ſ. a. Colaturæ bibat ℥iiij. pro vice, cum ſyrupi de ſymphyto ℥j.* Intermedio tempore bibit Emulſionem amygdalarum dulcium & ſeminum quatuor frigidorum majorum, & papaveris, cum decocto radicum ſymphyti, plantaginis, burſæ paſtoris, & polygoni factam, & ſyrupo de ſucco portulacæ dulcoratam. Juſculis etiam incoxit plantaginem, & urticam. Somni verò tempore, aſſumpſit bolum ex conſervæ roſarum & cynosbati ana ʒß. cum pulveris Conr. Geſneri ℈j. confect. alkermes ʒß. cum ſyrupo portulacæ, fiat bolus. Interdum etiam ſanguinis draconis gr. xij. Lapid. prunell. ʒß. ſumpſit ex aq. naphæ, roſar. & plant. ana ℥j. dulcoratis ſyrupo myrtino. Solebat enim noctu pejus habere, urgentibus quandoque vigiliis; quibus occurrimus emulſione ſeminum papav. alb. & ſyrupo papav. rheados. Tandem, quod topica attinet, ad ſaniem fœtidam, & ſordes uteri eluendas, per obſtetricem utero injiciendam curavi aquam hordei, admixto mellis roſati tantillo, interdum etiam ſucco apii; ſæpius poſtea ſuccum

plantaginis, & tandem etiam decoctum ℞ *rad. ſymphyt.* ℥j. *fol plantag. Mij. roſar. rubr. Mß. Corticum thuris* ʒj. *bulliant in aq. ad* ℥xij. Extrà verò uteri regioni admotum Emplaſt. Fernelii contra rupt. &c. quibus reiteratis, & continuatis, convaluit hæc matrona duorum menſium ſpatio. Deo ſit laus.

OBSERVATIO VI.

Immoderatus menſium fluxus, ſubſequentibus motibus convulſivis, à terrore, poſtea itidem à mœrore,

ANimi pathemata, ſi in moderatione contineantur, magni ſunt ad ſanitatem conſervandam momenti. Si verò moderationis limites excedant, ad immutandam totius corporis conſtitutionem magnam vim habent; ità ut non ſolùm graviſſimi morbi, ſed & interdum mors ipſa indè contingat. Hujus rei exemplum nobis præbet ſpectatæ virtutis & ſinceræ pietatis Virgo, Hanna Maniford, annos circiter triginta quatuor nata, habitu mediocri, calidæ & humidæ conſtitutionis. Hæc in privato quodam conventu ſacris intenta, cùm miniſtrum pro concione docentem audiret; ſubi-

ſubitò, nihil tale ſuſpicantibus, irrumpentibus in conclave militibus, ut conventum interumperent, tanquam legibus contrarium, viſu gladiorum nudorum adeò fuit perterrefacta, ut in catameniorum immoderatum profluvium incideret, ſubſequentibus tandem convulſivis motibus tremulis ſed manuum præſertim ſubſultibus, volâ earum lectum percutiens, quamdiu paroxyſmus durabat, non ſine ſumma virium jactura, ut vix longo tempore medicâ arte ab interitu vindicari potuerit. Ab eo tempore inordinato menſtruorum profluvio moleſtata fuit, iis interdum per bimeſtre, interdum trimeſtre, interdum etiam per longius temporis ſpatium ſubſiſtentibus, nec certam periodum obſervantibus, ſine magno incommodo, niſi quòd venter quodammodo intumeſceret, & ſpirandi difficultate afficeretur; irrumpentibus tandem menſtruis immoderatiùs, & majori per dies aliquot profluvio. Hac moleſtiâ tres quatuórve annos peregit, nullâ Medici alicujus operâ uſa, ſed in domeſticis quibuſdam præſidiis acquieſcens. Nuper admodum ex mœrore & luctu, ob obitum inexpectatum fratris amantiſſimi & deſideratiſſimi, contracto; poſtquam catamenia per bimeſtre ſuppreſſa fuiſſent, in-

cidit itidem in immoderatum eorum per quatuordecim dies profluvium; quod decimo die conſecuti ſunt motus convulſivi, ac brachiorum ſubſultus, bis térve in die recurrentes; factorum interim memor, de ſtrangulatione quadam circa fauces querula, nec ullum in ventre motum aut globi alicujus, hyſtericarum more, aſcenſum percipiens; debilis ſolùm, effœtis ex ſpirituum cum ſanguine profuſione, viribus. Ad hanc vocatus circa nonum inſultûs diem, quo convulſiones urgere incipiebant; ſuaſi baſilicæ ſectionem, ad revulſionem ab utero faciendam; parcam illam quidem, uncias quatuor non excedentem, habito magnæ profuſionis factæ & virium languoris reſpectu. Peractâ venæ ſectione, ſtatim propinavi Syrupum de ſucco portulacæ, myrtillorum & è roſis ſiccis, aquis portulacæ, plantaginis, & radicum urticæ dilutos. Interim bis in die, horis medicis, aſſumpſit drachmam granorum actes tragææ ex eodem julapio; ut ſic unâ fideliâ duos dealbarem parietes, ſanguinem ſupprimendo, & hyſtericos membrorum ſubſultus pacando; ídque felici prorſus ſucceſſu; cùm hujus uſu decimo quarto die fluxus omnino eſſet reſtrictus, remanentibus adhuc motibus convulſivis,

vulſivis, hyſtericorum æmulis; quibus ſedandis, aſſumpſit duo vel tria cochlearia ſequentis poticunculæ: ℞ *Aquæ ceraſorum nigrorum* ℥iij. *aquæ meliſſæ, naphæ ana* ℥jß. *Aquæ Epilepticæ Langii, & lumbricorum ana* ℥ß. *Manûs Chriſti perlat.*℥vj. *Miſce.* Cujus uſu, admixto, urgente paroxyſmo, ſpiritu caſtorei, convulſivi motus plurimùm fuerunt alleviati. Interim externè quoque Emplaſtrum ex Galbano utero applicatum; naribus verò caſtoreum, cum fœtente ex Syria aſſa in nodulo objectum; & oleum ſuccini nuchæ & temporibus affrictum; viribus quoque proſpectum; nec quicquam omiſſum, quod ægram à tam gravi affectu liberaret.

OBSERVATIO VII.

Menſtrua ſuppreſſa tuſſi rejecta.

MIri ſunt naturæ providæ, omnium in nobis functionum opificis, dum viribus ſuis utitur, motus, mira molimina, varias vias invenientis, ut excutiat, quod moleſtum eſt. Sic inter alia complura, ſi catamenia quandoque in fœminis ſupprimantur, nec natura, rebus ſuis conſulens, ſanguinem ſuperfluum per conſueta loca expel-

lere valeat, copiâ ejus gravata, dum fœminis ſalutem molitur, & pericula, quæ ex ſuppreſſione oriri ſolent, præcavere ſtudet, varias ſæpe vias, nobis quandoque incognitas, quærit, per quas ſe onere levet, & ſanguinem redundantem evacuet; cujus rei plures paſſim apud practicos invenire licet obſervationes. Ipſe novi plebeiam quandam, ſed honeſtam, profectioris ætatis virginem, Halbertonii in Devonia commorantem, cui nomen erat Priſcilla Chaw, menſtrua, contracto frigore ſuppreſſa, ſtatis menſium periodis, ab aliquot jam annis per tuſſim rejectantem; extra illud tempus de anhelitûs difficultate querulam. Hæc variis, variorum Medicorum conſilio, præſidiis uſa, hactenus nihil profecit, ſubſiſtentibus adhuc menſtruis; quæ nec ſaphenæ ſectione, nec fonticulis in cruribus excitatis, nec aliis remediis internis reſerari in hunc uſque diem potuerunt. Ut rectè dixerit Hippocrates, de morb. mul. Si menſes ſupprimantur ſex menſes, illos non ampliùs provocari poſſe, & malum incurabile eſſe. Etſi verò exempla contraria extent, cùm apud ipſum Hippocratem, tum & alios medicos; id tamen in adultioribus ut plurimùm veritati reſpondet.

OBSER-

OBSERVATIO VIII.

Fluor muliebris.

FLuor muliebris, ſeu uterinus, ſeu menſtrua alba nuncupata, Græcis ῥοῦς γυναικεῖος, ſive ῥοῦς τῆς ὑστέρας, dictus, ut valde familiaris, præ aliis nationibus, Angliæ fœminis; ſic importunum valde eſt, tenax, & curatu difficile ſymptoma. Hoc ſe natura, rebus ſuis conſulens, ab excrementitiis & totâ naturâ à ſanguine alienis humoribus, vel totius corporis vel partis alicujus vitio collectis, per uterum, tanquam ſentinam, veluti navis carina, corrivantium humorum locus eſt, liberare nititur. Contingit autem ſenioribus magìs, quàm junioribus; etſi utræque ei ſint obnoxiæ. Affligebatur graviter hoc malo Franciſca, reverendi Viri D^ni^ Andreæ Bromhall, verbi divini Maydennutonii miniſtri vigilantiſſimi, conjux lectiſſima, honorato loco nata, & omni virtutum decore ornata, quatuor ſupra triginta numerans annos, mediocris ſtaturæ, & rariſſimæ texturæ, humidâ & frigidâ conſtitutione, delicatam & otioſam vitam agens, pallida admodum, ſiquæ alia, & cacochymiæ in toto corpore ſigna complura de ſe præbens. Hanc, conſilium noſtrum implo-

rantem, ſequenti methodo tractavi. Cùm malum à toto ortum duceret, omiſsâ venæ ſectione, nè humoribus in venas revocatis ſanguis inquinaretur, ſtatim ſeroſam pleonexiam evacuare conati ſumus, per rhabarbari pollinem reſinâ jallapæ fortificatum, cum conſerva Roſarum damaſcenarum, formâ boli exhibitum, ídque tertiâ vice reiteravimus. Quo facto, bis in die, horis medicis, bibit ℥vj. ſequentis Apozematis, per tres vel plures ſeptimanas : ℞ *Raſuræ ligni lentiſcini ℥vj. ligni roriſmarini ℥ij. Succini flavi craſsè contuſi ℥vj. Raſuræ ſtanni* ℔j. *Eboris ℥j. Macerentur in* ℔viij. *aq. font. per* 24. *hor. deinde adde radicum eryngii ℥iij. uvarum paſſarum ℥ij. Coque ad c.* 4. *partis, cum colat. quæ trajiciatur ſuper ſacchari ℥vj. Cinamom. ʒiij. fiat Apozema*; quo durante purgata fuit ſexto quovis die pilulis palmarii, adjecto terebinthinæ coctæ ℈ß. Horâ ſomni, aſſumpſit Electuarium ex conſervæ Archangelicæ ℥iiij. pulv. argentinæ ʒij. Eboris ʒj. Corallorum ʒß. Ms. & cum ſyrupo è roſis ſiccis fiat Electuarium Interim & ſpinæ adhibitum Emplaſtrum confortativum : atque his à tam moleſto malo libera evaſit. Deo ſit laus & gloria ſempiterna.

OBSER-

OBSERVATIO IX.

Nimius menſium fluxus ab abortu.

ABortus, Græcis ἀπόφθορ@,ὁ ſive ἄμβλωσις dictus, malum eſt non tantùm toti humano generi perniciosum & deſtructivum, ſed & mulieribus, in id labi pronis, periculoſiſſimum, interdum etiam exitiale; ídque maximè ob hæmorrhagias nimias ex vaſorum violenta diſruptione contingentes; ad quas ſyncope, & alia graviſſima mala, imò ipſa ſæpe mors ſequitur. Hujus rei exemplum nobis præbet honorata D^na^ Brigetta, Nobiliſſimi Viri D^ni^ Johannis Churchill, armigeri, conjux lectiſſima, triginta tres annos nata, macilenta & gracilis, & minùs probo corporis habitu à Natura, induſtrio alioquin corporis humani opifice, donata; albo profluvio, plethoræ cacochymæ indice, plurimùm afflicta, & in phthiſin prona; qua ejuſdem familiæ alii quoque jugulati. Hæc tertio à conceptu menſe, nullâ externâ evidente causâ, ſubitò abortit; ſubſequente tantâ hæmorrhagiâ uterinâ ut in crebram ſyncopen incideret, & ab adſtantibus Libitinæ devoveretur.

Ad

Ad hanc vocatus, cùm nullus eſſet cunctandi locus, injectis utrique brachio vinculis, & ligatis filis ſericis rubris digitis, ſtatim huic nobili fœminæ exhibui drachmam dimidiam pulveris Heurnii, ex ſeminibus hyoſciami & papaveris albi, adjectis coralliis & hæmatite, nec non camphoræ momento, compoſiti, tribus unciis ſucci millefolii depurati, & ſyrupo corallorum diluti. Extrà verò uteri regioni emplaſtrum ad herniam, oleo cydoniorum malaxatum, applicari curavi; &, ad ſyncopem præveniendam, propinavi emulſionem perlatam ℞ *corallorum rubrorum in pollinem ſubtiliſſimum redactorum* ʒj. *Margaritarum præparatarum, & cornu cervi uſti ana* ℈ij. *amygdalarum dulcium excorticatarum* ʒij. *Aquæ roſarum* ℥ij. *Ceraſorum nigrorum, acetoſellæ, & florum borraginis ana* ℥jß. *Cinamomi* ʒij. *fiat emulſio, dulcoranda rotulis manûs Chriſti perlat.* ʒß. in qua etiam aſſumpſit interdum confectionem alkermes. His paucis nobiliſſima ægra miraculi inſtar à periculoſiſſimo fluxu, fauſto Apolline, vindicata; ſed debilis admodum, exhauſtis cum ſanguine ſpiritibus, quibus reſtaurandis, præter tabulas cum confectione alkermes & magiſterio perlarum, atque olei cinamomi guttula, & ſaccharo in aqua roſarum

rum ſoluto paratas; uſa eſt juſculis, amygdalatis, & ejus farinæ aliis. Supervixit aliquot annis, phthiſi tandem extincta.

OBSERVATIO X.

Menſtrua in ætate ſenili.

Extant exempla mulierum, quibus menſtrua ad annum ſexageſimum, imò & ſeptuageſimnm octavum, imò ad octuageſimum, qualis mihi cognita, ordinatè fluxerunt; pleriſque ad ſeptimum ſeptenarium perdurant. Novi matronam clarâ familiâ oriundam, Viri ſtrenui D^ni Johannis Gould, Capitanei, in via media, qua itur Dorcheſtriâ Waymuthum, habitantis, viduam, craſſo corpore, conſtitutionis ſanguineæ; cui, quartanâ triplici laboranti, catamenia magnâ copiâ effluxêre anno ætatis ſexageſimo ſexto; poſtquam, ordinario naturæ inſtituto, ultra quindecim annos ſuppreſſa fuiſſent. Sed quæ aliis ſuo commodo fluxerunt, huic lethum accelerârunt; Naturâ ſubitas & omnino inconſuetas mutationes minimè ſuſtinente.

OBSER-

OBSERVATIO XI.

A menſium pertinaci obſtructione narium hæmorrhagia.

MEnſes aliquando non per uterum, ſed per alia loca, quà data porta, excretos fuiſſe, non ſemel obſervârunt Practici: Id quod & mihi in praxi mea obſervare contigit, in plebeia quadam promaconda in ædibus Nobiliſſimi Viri Dni Henrici Henning Armigeri, Elizabetha Stickland nomine; quæ febri quartanâ correpta, incidit tandem in obſtructionem menſium, quos antea cùm ſanguinea eſſet, copiosè & liberaliter profluos patiebatur; cui ſubſecuta tanta narium per integrum diem hæmorrhagia, ut tandem in ſyncopen laberetur, & adſtantibus moritura videretur. Huic, in conſilium adhibitus, ſaphenam à chirurgo ſecandam curavi; Nigellaſtri præterea radicem linguæ ſubdere, dum incaleſceret, juſſi; fronti verò bolum Armenam cum albumine ovi, aquâ ſpermatis ranarum & aceto ſubactam, cataplaſmatis formâ applicandam conſului; quibus hæmorrhagia ſtatim feliciter inhibita, quæ

quæ nullis domeſticis remediis ſiſti poterat. Menſium verò reſerationi alia præſcripta, non ſine ægræ commodo. Vulgus rubricam montanam in convenienti liquore propinat. Ego ſæpius aquæ menthæ ad quatuor uncias hauſtum cum ſucceſſu, ad ſiſtendam narium hæmorrhagiam, propinavi. Valet etiam fotus cum ejuſdem herbæ decocto adhibitus.

OBSERVATIO XII.

Fluxus albus à thermarum uſu.

QUemadmodum pharmaca quæcunque, Erophili teſtimonio, ſiquis illis utens rectè prudens contigerit, auxiliares ſunt Deorum manus, quòd horum miniſterio Deus Opt. Max. & Natura morborum medicatrix, homines ſoleat è mortis faucibus eripere; Ita è contrario, ſi intempeſtivè & ſine ratione in uſum adhibeantur, tantum abeſt, ut ſint Θεῶν χεῖρες, ut potiùs eorum lethifera tela & toxica. Cujus rei exemplo nobis ſit generoſa Heroina, Johanna, Nobiliſſimi juxtà & humaniſſimi Viri D^ni^ Roberti Coker armigeri, Conjux lectiſſima, juvencula in ipſo ætatis flore conſtituta, tenerrimo & cacochymo

cochymo corporis habitu prædita, tuſſi à frequentibus defluxionibus moleſtata, & phthiſi obnoxia, qua duæ ſorores ejus antea è medio ſublatæ. Hæc cùm non ilico à nuptiis, ut ſperabat, dulci diteſcere partu poſſet, ut cum Lucretio loquar, ſuſcipiendæ prolis admodum cupida, neſcio cujus intempeſtivo & infelici conſilio, thermis, quas Ariſtoteles ſacras vocat, in comitatu Sommerſet ſponte ſuâ ſcaturientibus, quarum aquæ ex ſulphureo bitumine in terræ viſceribus, ab undarum fluctu, calce & halitu accenſo fervent, uſa ; incidit in fluorem muliebrem continuò affligentem, quo primò illuviem quandam crudam & albam, mox quoque viridem, & tandem rubram ac ſanioſam plurimam excrevit, cum dolore & muliebrium excoriatione, ab acrimonia ichorum oriunda. Veritati conſonum eſt, Thermarum uſu Naturam incitatam excrementa craſſiora, quæ per ſudorem expelli non poterant, per uterum, tanquam viam commodiorem & aſſuetam, expuliſſe. Ut huic Heroinæ cum ſalute medicinam facerem, ſpretâ venæ ſectione, utpote non neceſſariâ, imò noxiâ in corpore cacochymo, effætis morbo viribus, totum me converti ad cacochymiam removendam ; ac primò quidem, propinato oxymelite, decocto

coĉto ſeminum raphani & anethi diluto, cùm facilis eſſet ad ventriculi ſubverſionem, juſſi, ut, immiſſis in fauces digitis, vomitum provocaret; non tantùm ad ventriculum everrendum, ſed & revulſionem ab utero faciendam; quod cum ἐυφορίᾳ ſucceſſit. Hinc præparata materia cum jure pulli, mentha, betonica, artemiſia, borragine, & cichorio ſaturato, purgationem inſtitui cum infuſo Agarici trochiſcati ʒj. Rhabarbari ʒß. ſantali citrini ℈ß. in decocto cichorii & betonicæ facto, adjecto ſyrupo de Cichorio cum Rhabarbaro; à quo ſubſecuta lenis evacuatio; quæ, præmiſsâ eâdem præparatione, ſecundò repetita. His abſolutis, ad humiditatem uteri ſiccandam, & laxitatem corrigendam, aſſumpſit per aliquot ſeptimanas pulveris ſequentis uſualis ℈iiij. ℞ *radicum Chinæ pulveriſat.* ℥ij. *florum anthos, & ſalviæ ana p.ij. Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus*; quem, cùm pari ſacchari quantitate permiſtum, hauſit manè & quartâ pomeridianâ, ex decocto florum trifolii albi pratenſis, & archangelicæ. Noctu verò exhibita conſerva archangelicæ, additis pulveribus ſantali citrini, radicis ſymphyti majoris, & ſuccini. His continuatis, fluxus in tantum refrænatus, ut gravida fuerit facta. A conceptione

verò,

verò, catarrho apprehenſæ violentam proritavit tuſſim, ut metus eſſet phthiſeos; cúmque utero haberet, neglecto Medici conſilio, domeſticis quibuſdam remediis tuſſim aliquandiu lenire laboravit. Cùm igitur tuſſis indies augeretur, urgente etiam per intervalla redivivo fluore albo, abortûs metu, periculoſum eſſe duxit differre, quòd præſentem curam requirit; communi mecum alterius Medici conſilio, cauterium nuchæ, inter primam & ſecundam vertebram, & alterum brachio ſiniſtro affixum; cúmque decimæ octavæ ſeptimanæ proxima eſſet, ex baſilica dextra detractæ ſanguinis ℥iiij. Hinc inſtituta leniſſima purgatio cum ſena, tamarindis & Caſſia conflata, addito ſyrupo de Cichor. cum Rhabarb. Defluxione urgente, aſſumpſit noctu ſyrupum papaveris albi in cremore hordei; in qua, cùm defluxio tenuis eſſet, diſſolvebantur ℈ij. aluminis puriſſimi, quod ei plurimùm contulit. Brodiis radices Chinæ incoxit. Pro potu uſa eſt alâ medicatâ cum radic.Chinæ, rad.tuſſilaginis & ſymphyti, addito melle. Ad tuſſim Zylindri de farfara fuerunt ordinati, in ore tenendi. His adminiſtratis, debito tempore peperit filiolam; ſed elapſis aliquot ſeptimanis, phthiſi conſumpta, fatis ceſſit. Scilicet in lethalibus morbis

morbis irrita eſſe ſolent, quæ in auxilii vim adhibentur.

OBSERVATIO XIII.

Uteri ſuffocatio quaſi mortuæ ultra biduum.

Ex retentis menſibus & ſemine, humorúmque corruptela non modò læditur conceptio, ſed & affectus mulieribus frequens & moleſtus excitatur, Galeno Hyſtericus dictus, Latinis ſuffocatio, præfocatio, & ſtrangulatus uteri; ſymptoma non minùs grave, quàm periculoſum, à vapore maligno, ab utero ad partes ſuperiores elato, ortum; nunc actiones naturales, nunc vitales, nunc animales, interdum omnes ſimul lædens; unde varia contingunt ſymptomata, ob colligantiam,& mutuum conſortium, uteri cum omnibus ferè corporis partibus. Vidi juvenculam, Generoſæ Heroinæ Dominæ Hungerford ancillantem, quæ poſtea Colono cuidam Fordingtoniano, Guilielmo Collins, matrimonio juncta fuit; Hæc, huic malo frequenter, ex menſium obſtructione, obnoxia, ex frigore contracto apprehenſa fuit ſuffocatione uterinâ, cum tanto ſopore & veterno, ut corruens velut attonita jaceret, ſine motu, ſine ſenſu & reſpiratione

 percepti-

perceptibili, omnibúſque facultatibus ad ſenſum in tantum abolitis, ut miſella in nulla re à mortua diſtingueretur; & in hac triſti conditione permanſit biduum & horas ferè ſeptem; ut jam de ea ſepelienda cogitaret Hera. Dum hoc modo mortuæ inſtar jaceret, plumæ leves, nec non ſpecula ori & naribus admota, pelvis quoque aquæ plena pectori impoſita, ut exploraremus, an vita ſuperſtes eſſet; ſed nec ſpeculum ullo halitu infectum, nec plumæ aut aquæ motum percipere potuimus. Imò nec ſternutatoria crebrò inflata quicquam effecerunt. Tandem ſubitò, nihil tale expectantibus, gravi gemitu & ſuſpirio emiſſo, oculos attollere cœpit; actionéſque, aquis hyſtericis propinatis, & aliis, paulatim reſtitutæ ſunt; atque ſic à paroxyſmo reſpiravit; adhibitis poſtea menſes provocantibus, omnino convaluit, nec amplius ſtrangulata fuit; vivítque nunc temporis, & valet, ſalubri corporis ſtatu prædita. Etſi verò Gal. l. 6. de loc. aff. dicat, reſpirantem non vivere, & viventem non reſpirare, impoſſibile eſſe. Et ſublatâ reſpiratione, tolli vitam; quòd calor cordis pro ſui conſervatione externo refrigerio, aëris ſcil. frigidi crebrâ inſpiratione indigeat; attamen ex hac obſervatione

patet,

patet, oppreſſo cordis calore, vitam hominis ſolâ tranſpiratione conſiſtere, & ad tempus conſervari poſſe; & reſpirationem, ſi cauſas ejus & neceſſitatem conſideres, eſſe actionem à vita ſeparabilem.

OBSERVATIO XIV.

Superfœtatio.

RAra ſunt monſtra, ludentis naturæ ludibria; ſed rarior eſt ſuperfœtatio, Græcis ἐπικύησις dicta; cujus natura & ratio tantis difficultatum involucris eſt implicita, ut Valverda lib. 3. de reanat. & alii, eam nullo modo fieri poſſe contendant; imprimis, quod Hippocratis Medicorum principis teſtimonio 17. ſect. 5. quæcunque utero gerunt, his uteri os comprimatur; adeò, ut Herophilus non ſit gravatus dicere, ne ſpecilli quidem mucronem admittere. Attamen ſecundam quandoque conceptionem fieri, cùm gravida jam mulier, iterum cum viro coiens, concipit, quaſi ſit nova quædam ſupra jam conceptum fœtum fœtatio, experientia rerum magiſtra abunde teſtatur, & ſequens exemplum, quod in praxi mea con-

tigit, luculenter probat. Conſultiſſimi Viri, Dni Johannis Chaffe, non procul Sherbornâ habitantis, Conjux lectiſſima, è Mollinſiorum familia oriunda, in ipſo juventutis flore conſtituta, in utero habens, ſtato naturæ termino, felici Junone Lucinâ, peperit filiolum, rectè formatum, integrum & bene ſanum. Mox à partu immoderato menſium profluvio correpta, non tantùm vires plurimùm imminutæ, ſed &, pedum tumore accedente, in cachexiam & hydropem lapſura videbatur. Nono verò à partu die, iterum enixa eſt, ſeu perdidit fœtum, adhuc immaturum, quem nondum trium menſium maturitatem compleviſſe conjecturabam, propriâ ſecundinâ involutum. Huic neque oculi, neque aures neque os patebant, ſexus tamen diſtingui poterat. Vero perquam ſimile eſt, uterum poſt primum conceptum non exquiſitè clauſum fuiſſe; vel ſaltem uterum, ſeminis avidum, ex voluptate, quam in congreſſu percipiebat, iterum nonnihil apertum, ſemen per os attraxiſſe. Matrona hæc optima vix longo tempore convaluit, viribus nimiâ ſanguinis profuſione exhauſtis; convaluit tamen, & in hunc uſque diem pancraticè vivit.

OBSER-

OBSERVATIO XV.

Partus mortuus, ſubſequente molâ lethali.

MOla, Græcis μύλη dicta, nomen habens à motus cùm difficultate, tum gravitate, inter propria uteri vitia numeratur; éſtque affectus admodum periculoſus, præſertim ſi fœtui jungatur. Eum enim vel enecat, vel ſaltem inſigniter lædit; ſive antè, ſive cum, ſive poſt eum excludatur. Hujus rei triſte exemplum nobis præbet generoſa Heroina, Nobiliſſimi Viri, Domini Johannis Roger, Armigeri, Brinſtonii in vicinia Blandfordiæ habitantis, conjux, omni virtutum ſplendore inſigniter cumulata, in ipſo juventutis flore conſtituta, gracili & tenerrimo corporis habitu prædita. Hæc utero habens, nono imprægnationis menſe, partu difficili & laborioſo enixa tandem eſt fœtum maſculum, omnibus numeris abſolutum & integrum, ſed mortuum. Cùm verò biduum ipſum in enixu laborâſſet, vires hujus Heroinæ inſigniter erant fractæ, & crebris animi defectionibus opprimebatur; ut mecum duo alii Medici acciti, ægræ non ſine

cauſa valde timeremus ; accedente cumprimis immoderato menſium profluvio, tanto quidem, ut in præſens vitæ diſcrimen adducta videretur. Aderat præterea febris non contemnenda, & alia ſymptomata timoris & periculi plena. Interea venter hujus Heroinæ prætumidus manebat, ut obſtetrix alium fœtum in uteri latibulis abſconditum latere dubitaret. Sed tertius à partu dies rem totam extra omnem dubitationis aleam poſuit. Siquidem ſanguinis profuſione urgente, adeò ut Medici de eo conſtringendo valde ſolliciti eſſent, accedentibus inſuper crebris lipothymiis, excrevit tandem molam, ſive carnem rudem, informem, & inutilem, à ſeminis debilitate, & ſanguinis copia, facultatis formatricis errore, in utero, genitam, ſine oſſibus, ſpithami longitudine, & brachii mediocris craſſitie, venulis ſparſam ; qua rejectâ, dictum factum, animam ſimul efflavit ; magnum ſui deſiderium nobiliſſimo marito, & propinquis dolorem omnino maximum relinquens.

OBSER-

OBSERVATIO XVI.

Mola ingens ex plurimis veſicis aquâ repletis in utero conflata.

RAtum eſt apud practicos & in confeſſo, molas, ſi ſolæ ſint, ſæpe non ſolùm pluribus menſibus, ſed & pluribus annis in utero hærere, quibuſdam & conſeneſcere, imò commori; ſemper tamen vitam abſcindere, ut mulieres iis laborantes, citius, quàm, ſi abſque iis fuiſſet, factum eſſet, intereant. Hujus rei veritatem confirmat mulier gregaria, Norton nomine, barbitonſoris vidua, ex adverſo omnium Sanctorum Dorcheſtriæ habitans, quadragenaria & quod excedit ultrà, quæ molam, abdomine utriformi, hydropicorum inſtar, geſtavit in utero ſex plus minùs annis, ſinè ullo incommodo aut periculo, præter moleſtiam ex pondere perceptam. Hæc circa vitæ finem me vocari curavit, rogavítque ut ſe à morte, quam indies ſe expectare dicebat, ſeſe aperiendam curarem, quò tantæ molis cauſa innoteſceret, cùm venter in majorem tumorem, quàm gravidis ſolet, elevatus eſſet; id quod me facturum, ſtipulatâ manu,

promiſi; & mox à morte, vocato in hunc finem Chirurgo, Dno Rogero Heyden, in arte ſua perito, ſectionem ſuſcepimus. Aperto cadavere, nihil culpâ dignum inventum, præter ingentem molam rotundam, ex pluribus veſicis, juglandis magnitudine compoſitam; quæ admodum erant craſſæ & tenaces, aquâ repletæ, obductæ & intertextæ multis fibroſis ligamentis. Adnata verò erat utero undique mola hæc, ut cultello minimè ſeparari potuerit, quindecim ferè libras ponderans. Rectè itaque Hippocrates lib. 1. de morb. mulier. Si mola una caro fiat, inquit, perit mulier. Quodſi enim in univerſum in ſe coacta integra maneat, cùm natura eam, ob molem, propellere nequeat; fieri nequit, ut ſervetur ægra.

OBSERVATIO XVII.

Empneumatoſis, ſive Mola ventoſa.

UTerus interdum præter naturam à flatibus in eo concluſis diſtentus intumeſcit, vanæ impregnationis falſam imaginem referens; quod malum Græcis ἐμπνευμάτωσις dicitur, unde à nonnullis impropriè

priè ventoſa ſeu flatuoſa mola appellatur. Hoc malo apprehenſa fuit Maria, ſpectabilis Viri Dni Johannis Buſhrod ſenioris, civis Dorcheſtrenſis, Conjux ex primo matrimonio, tenui ſed honeſto loco nata, intra trigeſimum & quadrageſimum ætatis annum media, bono corporis habitu prædita, facie rubrâ & floridis genis, temperamento ſanguineo. Huic menſtrua ſubſiſtebant; venter circa uteri regionem in tumorem attollebatur; mammæ turgeſcebant, & alia; ut crederet omnino, ſe eſſe prægnantem, & de obſtetrice perita & fida, aliiſque ad partum neceſſariis, ſibi proſpiceret. Verùm cùm effluxo legitimo partûs tempore ſeſe deluſam, & ſpe ſuâ fruſtratam videret; meo conſilio, pauciſſimis remediis adhibitis, ventre paulatim ſubſiſtente, flatibus ſenſim diſcuſſis, in totum ab hoc malo fuit vindicata. Idem accidit nobili Matronæ Dnæ Horskins in vicinia Beamiſterii habitanti; cui cùm venter in majorem quotidie molem aſſurgeret, ut ſe gravidam putaret, & neceſſariis ad partum inſtructa eſſet, ecce venter ſubitò, ſine aliis remediis, delituit.

OBSER-

OBSERVATIO XVIII.

Abortus frequens curatus.

QUemadmodum fructus maturi, laxatis ab arbore pediculis, ſponte decidunt; immaturi, non niſi violentiâ quadam decerpuntur: Ità in naturali partu, vaſa & ligamenta, quibus fœtus utero cohæret, ſponte laxantur & ſolvuntur; in abortu verò violenter abrumpuntur; unde mulierculæ ſæpius in majus vitæ periculum, quàm à partu naturali præcipitantur. Nec enim aliâ ratione fit Abortus, niſi quòd acetabula uteri, tempore imprægnationis nimio humore laxata, pondus illud ſuſtinere nequeunt, & propter a, iis abruptis, perditur. Id quod accidit Spectatiſſimi Viri Dni Johan. Strangways, in pago Ockford habitantis, conjugi lectiſſimæ, bono corporis habitu præditæ, & in vigore ætatis ſuæ verſanti. Hæc etſi quorundam Medicorum operâ & conſilio uſa eſſet, quatuor vel quinque abortus ſequentes paſſa, cùm denuo utero haberet, abortûs metu me in conſilium adhibet, ſi forſan ab hoc malo, quod tertio ſemper menſe contingere ſolebat, præſervari poſſit. Huic mam-

mammæ mirum in modum turgebant, ut rupturas crederes; & tales permanebant ad abortûs tempus; quo ſubitò flacceſcebant, erumpentibus mox catameniis, ſubſequente tandem fœtu obortivo. Unde præter alia in juvene boni habitûs plethoræ ſigna, abortuum cauſam conjeci in ſanguinis abundantiam, qua fœtus obrueretur, & quaſi ſuffocaretur. Atque ideo venæ ſectionem ſuaſi; quæ mox ſub finem ſecundi menſis inſtituta, & tertio quartóve repetita; detractis pro vice ex baſilica dextra quatuor circiter ſanguinis unciis. Interea quoque præſcriptus pulvis ex Corallorum ℈ij. Radicum biſtortæ ℈iij. & ſacchari roſati ℥ß. compoſitus, cujus omni manè aſſumpſit ℈j. Dorſo verò & pectini applicatum Emplaſtrum Fernelii contra rupturam, malaxatum oleo maſtichino. Atque his paucis, non tantùm à præſenti abortûs periculo liberata, filiolam pinguem & boni habitûs enixa eſt; ſed & impoſterum pulchrâ prole ditata, ab hoc malo immunis vixit. Deo ſit laus & gloria.

OBSER-

OBSERVATIO XIX.

Abortus frequens.

MUlti, iidémque graviſſimi morbi, variis ac multiplicibus ſymptomatibus ſtipati, mulieribus ab utero impendent; ut verè dixerit Medicorum princeps, τὰς ὑστέρας πάντων τῶν νοσημάτων αἰτίας eſſe. In horum cenſu haud infimum ſibi locum vendicat ἀποφθορὰ, ſive ἄμβλωσις, abortus Latinis dictus; ſymptoma in genere actionis naturalis læſæ facultatis retentricis uteri; quamvis etiam annumerari poſſit ſymptomatibus in genere exeuntium mutatorum præter naturam. Eſtque malum hoc non tantùm toti humano generi exitioſum & deſtructivum, ſed & mulieribus in id labi pronis, periculoſiſſimum, nonnullis etiam lethale. Locuples hujus rei teſtis eſt Matrona ſpectatæ virtutis & pietatis, Martha, Reverendi Viri D^ni^ Georgii Thorne, verbi divini in urbe maritima Waymouth miniſtri laborioſiſſimi, conjux, undecim annorum curriculo, non ſine magno vitæ diſcrimine & virium jacturâ, ultra quindecim abortus vel deperditiones paſſa. Peperit illa à ſecundis nuptiis, propitiâ

pitiâ Junone, unam & alteram puellam; quarum utraque cùm debiles eſſent, fatis ceſſit. Ab illo tempore, nullâ, quod ſciam, antecedente externâ cauſâ, niſi fortè luctu & mœrore, obitu liberorum contracto, ætatis ſuæ vigeſimo ſexto anno, ter per intervalla quædam, etſi breviora, impraegnata, totidem vicibus fætum perdidit; quorum primus, quarto geſtationis menſe; alter, ſecundo; tertius, tertio corruptus fuit. Cui malo ut impoſterum providè ſuccurreret, debitis præſidiis uſa, non ſine abortûs periculo, tandem puellam completo geſtationis termino enixa eſt; quæ ætatis ſuæ octavo anno, chronico morbo exhauſta, magno parentum dolore, vitæ finem fecit. Elapſo ab hoc partu menſibus octodecim, quartum patitur abortum tertio à conceptione menſe; & exacto exiguo temporis ſpatio, denuo concipit; ut ferè ſolent, qui ad abortiendum ſunt proclives; ac, ſine periculo ἀποφθορᾶς, filium parit ſed debilem, quæ tertio ætatis anno rachitide interiit, cujus obitum Deus opt. max. qui dulcia amaris miſcere ſolet, filioli nativitate compenſavit. Sed breve fuit iſtius gaudii momentum.. Siquidem hic quoque in ipſius infantiæ flore parentibus ereptus, vitam
cum

cum morte commutavit. Cujus immaturam mortem trium annorum ſpatio ſex abortus, quarto omnes menſe, exceperunt. Hinc iterum impraegnata, filiolam aliam, variis uſa remediis, & repetitis venae ſectionibus, non ſine magna difficultate in lucem produxit; quae vitae uſurâ per annum uſa, reliquos ſecuta interiit; & paulò pòſt alium foetum perdidit, effluxâ à conceptu decimâ tertiâ ſeptimanâ. Toto hoc tempore nihil curae, nihil diligentiae intermiſſum, ut à tam gravi malo immunis redderetur: Cùm igitur meo judicio res tota dependere videretur in cacochymia totius, cujus, praeter alia, index erat fluor muliebris, quo moleſtabatur, unde tranſmiſſis humoribus vitioſis ad uterum, acetabula ejus repleta, accedente ſimul abortiendi conſuetudine, potuerunt eſſe ſatìs abortui cauſando; poſt debitam humorum praeparationem, & exquiſitam corporis purgationem, intermediis impraegnationis temporibus, ſanguinis etiam miſſiones, uterum ipſum ab humiditatibus, quibus cotyledones repletae erant, diligenter eluere laboravimus; poſtea quoque ad Chinae decoctum longo tempore uſurpandum, & tandem ad aquas minerales ferratas ſeu vitriolatas acceſſimus; quae non

ſolùm

ſolùm detergunt & aperiunt, ſed & uteri partes flaccidiores deſiccare, & leni adſtrictione corroborare aptæ natæ ſunt. Sed ſine fructu; ab iis enim redux, quartâ vice in idem malum incidit, nihil proficientibus venæ ſectionibus, pulveribus, Electuariis, impediendo abortui dicatis, Emplaſtris, lapide Aetites & aliis compluribus; imò nec aliorum Medicorum, quorum opem imploravit, conſiliis ſaluberrimis. Etſi verò omni ſtudio malum hoc vinci minimè potuerit, id partim ipſi matronæ huic imputandum, quòd votis citius reimprægnata, remediorum ſtadium abrumpere cogeretur; partim ideæ vitii, magnitudini, motui & moribus, quæ potiſſimùm in morbis ſpectanda eſſe monet Galenus, non remediorum ineptitudini, aut Medicorum negligentiæ adſcribendum; ut non ſine cauſa Hippocrates dixerit, in morbis mulierum expugnandis à divinis auſpicandum eſſe; cùm non facilè quivis mulierum morbus ſuperetur, præſertim vetuſtus.

OBSER-

OBSERVATIO XX.

Abortus, cum inordinata menſium expurgatione, & Eſſere.

MUlieres frequenter abortientes, tandem ſteriles fieri, longâ rerum experientiâ notant practici. Id ipſum mihi obſervare datum, in generoſa Heroina Margareta, Nobiliſſimi Viri D^ni^ Arthuri R.dford, Armigeri, cui Deus lares poſuit in pago Dewliſh, conjuge, virtutis amantiſſimâ & prudentiæ laudibus præſtante, tenero & gracili corporis habitu, & vacillante valetudine. Hæc in ipſo juventutis flore quatuor abortus paſſa, meum in præſervatione implorat conſilium; de inordinata menſtruorum expurgatione, cum doloribus circa lumbos & imum ventrem, querula; nec non de tuberculis parvis ad rubrum vergentibus, duriuſculis, cum inſigni pruritu ſubitò univerſum corpus occupantibus, culicum morſibus ſimilibus, & paulò pòſt iterum evaneſcentibus, Eſſere Arabibus nominatis. Ut itaque perilluſtris hæc Heroina à frequenti abortûs accidente præſervaretur, ſi Deo viſum fuerit, ad deturbandam primùm

primùm alvi ſentinam, injectus fuit clyſter emolliens; & ſequenti die exhibita potiuncula. ℞ *Agarici trochiſcati* ʒjß. *foliorum ſenæ electæ* ʒij. *Seminum aniſi* ℈j. *infundantur per noctem in ſ. q. aquæ artemiſiæ; in colatura diſſolve electuarii Diaphænici* ʒjß. *ſyrupi de artemiſia* ℥ß. *aquæ cinamomi* ʒß. *Miſce, fiat potio, quæ blandè operationem ſuam peregit.* Effluxo die, inſtituta venæ ſectio, atque ex baſilica dextra detractæ ſeptem circiter ſanguinis unciæ. His præmiſſis, ad pleniorum cacochymiæ, pituitoſorum maximè humorum, quibus uteri vaſa & acetabula plena erant, evacuationem, uſa eſt Apozemate: ℞ *Radicum aperitivarum ana* ℥ß. *Herbæ capillorum Veneris, roriſmarini, betonicæ, hyſſopi ana* Mß. *foliorum ſenæ electæ* ℥j. *Mechoacannæ* ʒiij. *Agarici trochiſcati* ʒjß. *galangæ, zingiberis ana* ℈ij. *Fiat omnium decoctio in ſ. q. aquæ ad* ℔j. *cum colatura, in qua diſſolve ſyrupi magiſtralis ad melancholiam, & cichorii cum Rhabarbaro ana* ℥jß. *Aquæ cinamomi* ʒij. *Miſce, fiat Apozema, pro quinque doſibus.* Hinc acceſſimus ad utri elutionem à materia mucoſa, lenta, craſſa & viſcida, qua repletas eſſe judicavimus cotyledónes; freti Hippocratis autoritate, dum ſect. 5. aphor. 45. Mulieres inquit

quæ mediocriter corpulentæ, abortum faciunt, ſecundo menſe aut tertio, ſine occaſione manifeſta, ut contigit in hac Heroina, iis cotyledones muco ſunt plenæ, nec præ pondere fœtum continere poſſunt, ſed abruptis decidit. In eum finem injecti clyſteres uterini, ex herbis, radicibus & aliis, quæ incidendi, attenuandi, & detergendi vires obtinebant. Factâ exquiſitâ totius corporis & uteri expurgatione, devenimus ad partium corroborationem, per aquarum mineralium potationem, quas per menſem hauſit, incipiendo à potu aquarum Ebeſamenſium, quæ nitroſæ ſunt, quibus per ſex dies indulſit. Egregiè enim detergunt, incidunt & attenuant, cum aliqua refrigeratione, & adſtrictione, Deinde, poſt uſum harum aquarum, ad aquas ferratas, à prædominio ſic dictas, quoniam aliqua ſubeſt nitri commiſtio, Tonbrigenſes nobiliſſimam patientem remiſimus; quæ detergunt, aperiunt & uterum flaccidiorem deſiccatione & adſtrictione corroborant; in quarum uſu per menſem plus minùs perſtitit, non ſine optimo ſucceſſu; cùm ab iis menſes impoſterum ordinatè procederent, reſeratis ex humoribus lentis & viſcidis obſtructionibus. Denique adverſus illam ſanguinis pituitoſi

tuitoſi ebullitionem, quæ efflorefcentiam à culicum morſu vel potiùs ab urticarum tactu cauſatam æmulabatur, nihil præſcriptum. Quid enim poſt tranſactam morbillorum eruptionem aut ebullitionem, jam diu præteritam, cui congener eſt hic affectus, ab Arabibus Eſſere vocatus, præſcribi poterat; cujus cauſæ, ut & lumborum ac ventris dolori abſciudendo, aquæ minerales ſatìs fuerunt; utpote à ſanguinis menſtrui craſſitie, & partium diſtenſione à flatibus excitata, oriundo. His, injunctâ ſimul in ſex rebus non naturalibus exquiſitâ victûs ratione; ſine qua, nec Medicorum conſilia, nec pharmacorum adminiſtratio quicquam proficere poſſunt; nobiliſſima Heroina à periculo abortûs, non ſolùm laboranti moleſti, ſed & ſpeciei humanæ inimici, liberata vixit; ſed ſterilem vitam ad mortem uſque duxit.

OBSERVATIO XXI.

Abortus frequens curatus.

UBi nulla abortûs cauſa evidens eſt, conjecturâ potiùs, quàm cognitione ducamur neceſſe eſt. Id accidit in caſu Reveren-

verendi Viri, D^ni^ Samuelis Hieron, verbi divini in Devonia Miniſtri fideliſſimi, conjuge, ſæpius obortiente, parvæ ſtaturæ & mediocri corporis habitu. In hac juvencula, conſilium meum implorante, quantum quidem ex relatione ejus colligere potui, erat ſuſpicio quædam primi abortûs cauſæ, nimia ſcilicet extenſio; unde facilè primus abortus pro ſecundo viam parare potuit, & hic pro tertio; ità ut conſuetudine abortiendi infirmata, ſine auxilio facilè ſeſe haud unquam recollegerit. Huic ſuaſi, ne ocyùs, quàm par eſt, conciperet; ſed ut tantum temporis interveniret, quo robur & firmitudinem omnimodam acquiſiviſſet. A conceptione verò, ut à Venere prorſus abſtineret, conſului; donec abortûs tempus conſuetum effluxum, nec ejus reſtaret metus; ne ex nimia agitatione in eum præcipitaretur; id quod frequentiſſimè contingit, nemine obſervante. Juſſi quoque ut experientiæ ergô injectiones inſtitueret, ut pateret, an quid materiæ phlegmaticæ vel mucoſæ hæreret; ſed hoc ab ea neglectum; quod urgere deſtiti, cùm ipſe vix aliquid in utero hærere judicarem, ob probabilitates, quas ſtatus corporis ejus ſuggerebat. Quin potiùs præmiſſâ phlebotomiâ, & totius e-

Verri-

verriculo, acceſſi ad diæteticum, partes naturales corroborans, uſum ejus per menſem continuando. ℞ *Sarſæ parillæ* ℥*iiij. Radicum chinæ* ℥*jß. Raſuræ cornu cervini* ℥*j. Cinamomi* ʒ*j. paſſularum exacinatarum* ℥*ß. liquiritiæ* ʒ*j. Decoque ſ. a. in vaſe duplici, & ſolatura aromatiſetur* ʒ*ß. cinamomi optimi.* Pro primis duabus hebdomadis addantur mellis ℥ij. Poſtea mel omittat. Huic remedio, tempeſtate favente, aquarum mineralium potus ſucceſſit; quarum uſum per menſem continuavit, magno commodo ſuo. Hæc duo remedia in aliis quoque ab abortu præſervandis efficaciſſima ſemper deprehendi. Interim & ſequens emplaſtrum corroborans, lumborum regioni applicatum: ℞ *Unguenti comitiſſæ* ℥*j. unguenti adſtringentis Fernelii* ℥*jß. Maſtiches, olibani, radicum biſtortæ ana* ʒ*iij. Sanguinis draconis, Boli armenæ ana* ʒ*j. Reſinæ, ceræ, colophoniæ una* ℥*ß. Terebinthinæ in aqua aluminoſa lotæ q. ſ. Ms. fiat Emplaſtrum pro regione renum, lumborum & oſſis ſacri, ad bonam conſiſtentiam redigendum*; quod & aliis in ſimili caſu, ſi non incaleſcat, profuiſſe longâ experientâ expertus ſum. Quodſi contigerit, ut utero habeat, quod paulò poſt aquarum uſum côntigit, cùm boni vigoris eſ-

 ſet,

ſet, & ſanguine abundaret, venam cubiti aperiendam ſuaſi. Atque his ritè adminiſtratis, non tantum ab abortu fuit liberata, ſed & liberos ſuſcepit, quæ quidem poſſeſſio pulcherrima eſt, & divitiis, regiiſque thalamis, ut cum Euripide loquar, præferenda.

OBSERVATIO XXII.

Partus difficilis naturalis.

ADmiranda quidem ſunt naturæ in Embryonis formatione, vita, & nutritione opera; ſed extremus ejuſdem conatus in fœtûs excluſione, qui Latinis partus, Græcis vero τόκος dicitur, eſt ſingulare Dei opt. max. opus; cui jure cedunt ſeptem mundi miracula, utpote captu intellectûs humani ipſiúſque admirationis majus; ut non ſine cauſa Galenus libr. 15. de uſu part. Immortalem Dei providentiam miratus ſit. Divinâ ſanè manuductione & ope, homo per anguſtiſſimam viam inter duo oſſa pubis, tanquam per rimam anguſtam, inter duos ſcopulos ſitam, in hanc ærumnarum vallem cum lachrymis & ejulatu progreditur, ſupinus cœlum versùs aſpiciens; in qua actione niſi rerum conditor ſummus auxiliares manus

nus adhiberet cùm infantis,tum matris vita, tanquam tenuiſſimo filo pendens, in extremo diſcrimine conſtituta eſſet. Hujus rei veritatem inter mille alias teſtatur Heſtera honeſtiſſimi Viri Thomæ Blandford, civis Dorcheſtrenſis, pannis laneis conficiendis & vendendis victum quæritantis, conjux, triginta quinque circiter annorum, robuſta, & firmo corporis habitu donata. Hæc antehac fauſtâ Junone Lucinâ aliquoties pepererat; atque iterum gravida facta, exactis novem menſibus, cùm juſtum pariendi tempus inſtaret, & pariendi conatus continuò urgerent, attamen ob fœtûs magnitudinem parere non potuit; adeò ut, viribus vacillantibus, obſtetrix cum adſtantibus eam pro deplorata haberent. Ad hanc accitus, cùm alvum duriorem haberet, glande in anum per obſtetricem immiſſâ, excrementa deturbavi, non tantùm ut fœtui liberior pateret exitus, ſed & acrimoniâ ejus facultas expultrix ad expellendum fœtum inſtigaretur. Quo facto, pro virium refectione, aſſumpſit juſculum ex vino albo cum vitello ovi, cinamomo & tantillo croci, addito ſacchararo paratum,quo vires quoadammodo reſtauratæ fuerunt. Ventri inferiori fotum adhibui ex radicibus liliorum alborum, biſ-

malvæ; radicibus ariſtolochiæ utriuſque; Malva, artemiſia, & camomilla, nec non ſeminibus lini & fænugræci in aqua & vino albo coctis. A fotu verò pubem, coccygem & muliebria inungenda curavi Linimento, ex oleo liliorum alborum & lini, cum mucilagine ſeminis malvæ, lini & fænugræci nec non croci portiuncula, adjectâ cerâ, parato; ut uteri partes relaxarentur, & partes inferiores magis ſubſequentes redderentur. His factis, ad provocandum partum, propinavi decoctum florum leucoii lutei, & dictamni cretici in aqua verbenæ, addita confectione alkermes & ſaccharo perlato; umbilico folia lauri maſticata, & plantis pedum perſicariam applicari curavi; ſternutationem provocavi; ægram verò forti animo eſſe juſſi, & omnem ſpem in benignitatem Dei paternam collocare, perſuaſúmque habere, Deum in hiſce anguſtiis opitulaturum, modò ſe morigeram præberet, coxis potiùs innixam, vel brachiis à mulierculis ſuſtentatam, quàm ſedentem aut decumbentem, ut ſic faciliùs pareret; urgentibus autem verminibus, ut ſeſe ſtrenuam præberet in enitendo, ad expellendum fœtum, ſpiritum detinendo, & ad inguina depellendo, ſedulò ſum exhortatus;

atque

atque ſic, Deo juvante, intra horæ ſpatium, enixa eſt fœtum ſalvum, poſt bidui continuos dolores, & reliquum à partu puerperium feliciter tranſegit. Deo ſit laus & gloria ſempiterna.

OBSERVATIO XXIII.

Fœtus mortuus ob partûs difficultatem.

ELuceſcit in omni partu ineffabilis Dei conditoris Opt. Max. Providentia, immenſa bonitas; ſed multò magìs fœtu in materni uteri latibulis demortuo; ut mirari ſæpe ſubeat, ullam unquam mulierem fœtum extinctum eniti, atque ab interitu ſalvari. Ità paupercula quædam ex infima plebe, primipara, in pago Straton, ſecundo Dorcheſtriâ lapide diſſito habitans, gravida facta, cùm jam pariendi tempus inſtaret, atque in ipſo labore per triginta circiter horas vehementes dolores paſſa eſſet; tandem viribus proſtratis pariendi conatus remittere, imò uterus nihil ampliùs moliri cœpit; obſtetrix nullum ampliùs fœtûs motum, nec ipſa parturiens ſentiebat; ſed laboribus exhauſta, mortuæ inſtar jacebat, & pro deplorata habebatur. Cúmque obſtetrix, omni-

bus ſuis remediis tentatis, nihil efficere poſſet; poſtquam miſella jam ipſum triduum in partu periclitata fuiſſet, & animam agere videretur, atque maritus ſandapilam ſive arcam, cui imponeretur ad ſepeliendum, procurâſſet; accurrit ad me anus quædam, ei, ni fallor, conſanguinea, ſiquid in tantis anguſtiis ars medica poſſit, periclitatura, lachrymabunda, obnixè orans, rogánsque, ut ei conſilio auxilióque meo adeſſe velim. Etſi verò, tardiùs vocatus, de ſalute ejus omnino deſponderem; attamen ne prognoſticis relicta videretur, in re dubia aliquid agendum vel periclitanter duxi; ſuaſi itaque, ut obſtetrix balanum ex hiera picra, melle & ſale gemmæ compoſitum ano immitteret, ad excrementorum evacuationem; ne uterus ab iis compreſſus in partu retardaretur. Mox uterum & muliebria linimento ex oleis relaxantibus, liliaceo, amygdalino, adipe anſerino, & ſimilibus inungi curavimus. Interim ad provocanda vermina, quæ penitus ceſſaverant, ut fere ſolent partu mortuo, exhibui ei ℨj. Teucrios, quam Pſeudochamædrin vocant, cum cæruleis floſculis, ubique in vepretis naſcentem, ídque in hauſtu ſeri lactis, vino albo ſegregati. Erat enim tenuis fortunæ, ferendis.

rendis ſumptibus impar. Sumini verò & adverſæ dorſi parti applicavi ſacculum Cichorii totius in vino albo cocti, ipſum quoque vinum hujus decoctionis propinavi; quibus paucis, in aliis quoque mihi in ſimili caſu non ſemel probatis, revertentibus doloribus, intra horæ ſpatium enixa eſt fœtum mortuum, poſtquam partûs labores ultra triduum ſuſtinuiſſet. Ab enixu verò, paucarum horarum ſpatio, incidit in motus convulſivos Epilepticorum æmulos; qui feliciter ſuppreſſi emulſione perlatâ. ℞ *Aquæ florum Tiliæ, & ceraſorum nigrorum ana ℥ij. Aquæ naphæ ℥j. Aquæ Epilepticæ Langii & lumbricorum compoſitæ ana ℥ß. ſacchari perlati ʒvj. Miſce*, cujus aſſumpſit cochlearia duo pro vice, inunctâ ſimul ſpinâ oleo amygdalino, de caſtoreo, & ſimilibus. Tantum verò hac curationis methodo profecimus, ut quæ ab omnibus pro deplorata habebatur, Deo opifice & moderatore, reſtitutionis ſpem præberet; & refocillata juſculis, tandem integram valetudinem recuperaret. Quod Dei bonitati & indulgentiæ unicè adſcribendum.

OBSERVATIO XXIV.

Secundina ante fœtum excluſa.

SEcundinarum excluſionem, Medici, & inter eos Franciſcus Ranchinus Medicus, & profeſſor Regius celeberrimæ Univerſitatis Monspelienſis lib. de morb. in partu, pró certiſſimo ſigno habent fœtûs mortus; eò quòd commeatum ſpiritûs materni & caloris vitalis interceptum & interruptum eſſe indicet. Adfui tamen parturienti Heroinæ, Catharinæ, nobiliſſimi æquè ac humaniſſimi Viri D^ni^ Guilielmi Frampton Armigeri de Morton, Conjugi lectiſſimæ, & fœcundiſſimæ, Melancholicæ admodum & valetudinariæ, quæ in δυστοκίᾳ ſeu partu difficili, tandem ſecundinam ante partum excluſerat, non tantùm fœtu, ſed & matre ſalvâ; niſi quòd ab enixu hyſtericis aliquot paroxyſmis tentata fuit. Nempe homines ſæpe à periculis & morbis ſæviſſimis liberantur divinâ virtute, & quòd hæc Heroina ſervata, ſolâ Dei bonitate & clementiâ contigit; cui ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum.

OBSER-

OBSERVATIO XXV.

Lochiorum ſuppreſſio lethalis.

NAtura, provida humani corporis opifex, geminâ purgatione muliebre corpus à redundanti crudi ſanguinis excremento & fæcibus expurgare ſolet. Primùm enim id quovis menſe natura molitur, niſi in opere ſuo impedita fuerit. Altera uterum ferentibus à partu, etiamſi abortiverint, debetur. Hoc utroque profluvio Natura ab omnifaria morborum tyrannide muliebrem ſexum præſervat illibatum. Si verò altera harum ſubſtiterit, tum tota crudelium morborum phalanx atrociter irruit. Multùm tamen deterior eſt ejus evacuationis, quæ poſt partum fit, ſuppreſſio. Nam ſanguis ille impurus & fæculentus, qui à partu expurgari debet, tanquam reſiduum inutile alimenti fœtûs, ſi retineatur, aut corrumpitur, aut refluit, aut regurgitat, multóſque formidabiles morbos parit; quorum catalogum recenſet Hippocrates lib. 1. de morb. mulier. & lib. 1. de nat mul. ſæpe etiam ipſam mortem accelerat. Cujus rei triſte nobis exemplum

emplum præbet antiquâ multorum honorum decore clarâ familiâ oriunda Heroina Anna, nobiliſſimi Viri D^ni Johannis Dodington Armigeri, Breameræ, ſexto à Saro lapide diſtantis, habitantis, conjux & ſedula vitæ ſocia, ætatis ſuæ vigeſimo ſexto circiter anno, bene habita & ſanguineo temperamento prædita. Hæc, cùm gravida eſſet facta peperit nono ingravidationis menſe puellam, felici Junone Lucinâ, puerperiis ex naturæ inſtituto rite procedentibus. Cùm verò in enixu, unguibus obſtetricis, alioquin in obſtetricandi arte peritæ, leviter fortè læſa eſſet, adſtantes mulierculæ nimis curioſæ, partem læſam neſcio quo oleo inunxerunt; unde, ſive olei adſtrictione, ſive frigore contracto, Heroina hæc, meliori fortunâ digna, incidit in omnimodam Lochiorum ſuppreſſionem, cum gravi diarrhæâ mox ſubſequente; tranſlatâ proculdubio corruptâ materiâ per metaſtaſin ab utero ad inteſtina; accedente febri, & ſummâ virium jacturâ. Adhibiti duo Medici Saro in conſilium; elapſo biduo, cùm res ægræ in pejus ruerent, me quoque ad viginti octo milliaria diſtantem iis adjungunt, qui ipſi ſæpiùs cum ſucceſſu medicinam feceram. Varia huic Heroinæ communi conſilio adminiſtrata

ſtrata fuerunt remedia, ſed ſine fructu, renuente Apollinis numine. Siquidem perſeverante die noctúque alvi fluxu, cum maxima ſpirituum & caloris nativi attritione, ſexto à partu die exacto, extincta, ſpiritum ſuum per illum, qui mortis victor & triumphator, æterno Deo tradidit, magno propinquorum luctu & dolore. Scilicet, cùm in morbis contrariæ ſunt indicationes, ſibi invicem pugnantes, ùt quod eſt affectûs remedium, cum aliis & præcipuè virium tenore pugnet, tum incerta & dubia eſt curandi ratio; & affectu inſanabili relicto, perit æger.

OBSERVATIO XXVI.

Puerperiorum ſuppreſſio lethalis.

SImilis priori obſervationi caſus mihi in praxi mea occurrit, in ſartoris cujuſdam Dorcheſtrenſis, Thomæ Bartlet conjuge primipara; cui, fluore alvi correptæ, mulierculæ imperitæ pruna ſylveſtria, inter duas patinas cum ſaccharo cocta, eſui exhibuerunt; unde non tantùm Lochia omnino ſuppreſſa, nec ullis ampliùs remediis revo-

cari

cari potuerunt; ſed & alvi fluxus ingraveſcebat; ut tandem, ſpiritibus profuſis, & calore nativo extincto, extremum ſpiritum exhalaret. Uſque adeò periculoſa eſt puerperiorum ſuppreſſio.

FINIS.